

V
B J
C



IANOCIANA

SIVE

CLARORVM ATQVE ILLVSTRIVM

POLONIÆ AVCTORVM

MÆCENATVMQVE

MEMORIÆ MISCELLÆ.

VOLVMEN II.



VARSAVIÆ ET LIPSIÆ
APVD MICHAELEM GROELLIVM
SERENISS. POL. REGIS COMMISSARIVM ET BIBLIOPOLAM
SVB SIGNO POETARVM.
A. R. S. MDCCLXXIX.




Biblioteka Inst. Historycznego
UJ


BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS

INDEX AVCTORVM

QVI IN VOLVMINE ILLO RECENSENTVR.

INDEX AVCTORVM.

CHODKIE-

D.

E.

F.

G.

GAMRA-

M.

NICO-

INDEX AVCTORVM.

R.

S.

SIRE-

NB. Memorias illas, quibus ſignum ✝ eſt appoſitum: dictante ipſo IANOCIO Protobibliothecario, viſendi facultate iam deſtituto, morbisque variis ac diutinis graviter affecto: eius amanuenſis, Michael Antonius Straehlius, excepit. Reliquas omnes, è IANOCII ſchedis autographis, idem amanuenſis deſcripſit.



IANOCIANA,

SIVE

CLARORVM ATQVE ILLVSTRIVM POLONIAE AVCTORVM, MAECENATVMQVE,

MEMORIAE MISCELLAE.

VOL. II.

I.

S. ADALBERTVS, Gneſnenſis Archiepiſcopus: isque communis Polonorum atque Pruſſorum Apoſtolus, in Pruſſia ab idololatris pertinacibus, IX Kalendas Maias anni DCCCCXCVII, interfectus: auctor exiſtimatur vetuſtiſſimi carminis Polonici, ſimplicitate quadam diuina fuſi, quod BOGA RODZICA, hoc eſt, DEI GENITRIX inſcribitur. A Polonis olim bellicoſis, invictisque, in hoſtes progreſſuris,

carmen hoc populariter canebatur. Vernaculo * ſermone primùm in lucem prolatum eſt, à IOANNE LASCIO, Regni tùm Cancellario. Qui edito à ſe, anno MDVI exoriente, COMMVNI INCLYTI REGNI POLONIÆ PRIVILEGIO, praefixit. IOANNES deinde IANVSZOVIVS publicatis à ſe, anno MDC, lingua utraque, REGNI STATVTIS ATQVE CONSTITVTIONIBVS, praemiſit. Poſt quem PETRVS SCARGA, Regis Polonorum religioſiſſimi, SIGISMVNDI III. Theologus graviſſimus, ſub finem VITÆ DIVI ADALBERTI, ſermone patrio ſcriptae, recenſuit atque explicuit. MATHIAS autem CASIMIRVS SARBIEVIVS, Polonorum ille HORATIVS, Latinè in carmen Sapphicum elegantia ac ſuauitate ſumma convertit. Inditoque PÆANIS MILITARIS POLONORVM titulo: in Librum quartum LYRICORVM ſuorum intulit. Sumtum inde CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS, Lyricus ipſe Poëta terſiſſimus, canticis iis bellicis adiecit: quibus Graeca TYRTÆI carmina, â Lacedaemoniis pugnaturis decantata, comitatus eſt.

* Ætate noſtra, STANISLAVS KONARSCIVS, Polonorum decus et ornamentum perpetuum, canticum illud, LEGVM PATRIARVM Voluminis prioris initio, patrio idiomate repetiit.

II.

II.

ALBERTVS SENIOR, Marchio Brandenburgensis, primusque Dux in Prussia: pacis bellique artibus inclytissimus: ingenii docti et bellici illustre monumentum reliquit. Namque grande volumen, DE ARTE MILITANDI, sermone Theodisco composuit. Polonicae autem consuetudini tradendum à MATHIA STRVBICIO Livone, humanioribus litteris egregiè exculto, linguaeque Polonicae valdè perito, curavit. Poloniarumque Regi, SIGISMVNDO AVGVSTO, civilium atque militarium studiorum maximè amanti, Polonica dedicavit Epistola, Regiomonti Prussiae IV Idus Augusti an. MDLV. data. Cuius sub finem ille, REGIÆ MAIESTATIS Principem subditum, Divina gratia ALBERTVM Seniorem, Marchionem Brandenburgensem, inque Prussia Ducem, sese vocavit. Opus quidem illud publicae luci nunquam fuit expositum. Autographum regale, polita manu confectum: figurisque bellicis, calamo eleganti effictis, refertissimum: saeculo superiore, post casus varios, in manus fortissimi atque doctissimi Herois, IOANNIS CAROLI CHODKIEVICII, Vilnensis Palatini, copiarumque Lituanicarum Imperatoris, pervenit. Ætate autem nostra, à Regio Poloniae Principe, IACOBO LVDOVICO SOBIESCIO: bellicosissimi Re-

gis IOANNIS III filio: ANDREÆ STANISLAO KOSTKÆ è ZALVSCIIS Comitibus Episcopo tunc Luceoriensi, Regnique Poloniae Cancellario maximo, donatum est. Qui cimelio illo pretioso, conditam à se, atque à fratre germano, IOSEPHO ANDREA, Regni huius illo tempore Referendario supremo, Bibliothecam publicam insigniter adornavit. Regum decus immortale, aevique nostri fulgentissimum, STANISLAVS AVGVSTVS: Princeps atque Parens Gentis Polonicae Indulgentissimus: diebus proximis superioribus, codicem hunc in Regiam ad se afferri, proprio Epistolio suo, benignitate incredibili mihi scripto, cupiit. SERENISSIMA MAIESTAS SVA, apprimè talium gnara: veterumque monumentorum patriorum mirè cupida ac studiosa: opere illo maiorem in modum fuit oblectata. NARVSSEVICIVMque: qui Regi doctissimo, sapientissimoque, unus in amore atque in deliciis est: obsecravit impensiùs, ut codicem tam nobilem, tamque praestantem, manibus suis, in sacrarium Reipublicae, id est, ZALVSCIANAM Bibliothecam publicam, reportaret.

III.

ALEXANDER, Rex Poloniarum, liberalia studia diligenter coluit. Praecellentesque ingenio doctrinaque homines magni

gni

gni aeſtimavit. IOANNEM LASCIVM, temporibus ſuis eruditiſſimum: legumque atque conſuetudinum, et rerum omnium Polonicarum cognitione atque exercitatione praeditum: ante omnes carum habuit, opibusque atque honoribus extulit. Creato à ſe LASCIO illi Regni Cancellario, Rex ſuaſor maximè, atque impulſor fuit, ut STATVTA REGNI POLONIÆ in volumen unum colligeret, civiumque commodo communi publicaret. Ipſeque Rex tractandi operis rationem modumque LASCIO praeſcripſit. Excuſis autem in typographica officina foliis prioribus: Rex optimus fato acerbiſſimo interiit: Muſis patriis morti eius immaturae illacrymantibus.

IV.

ANNA AVSTRIACA, CAROLI Archiducis filia, FERDINANDIque SECVNDI Caeſaris ſoror germana: SIGISMVNDI TERTII, Polonorum ac Suecorum Regis, prior coniunx: pietate quidem atque prudentia haud minus, quam formae pulchritudine maieſtateque eminuit. Litteratura autem doctrinaque nihil quidquam praeſtitit. Scriptum ab ipſa SPECVLVM PIETATIS: in quo vitae Reginarum Poloniae ſint expoſitae: MENCKENIVS atque IOECHERVS, LEXICI

BIOGRAPHICI LITTERARII, Theodifco fermone editi, auctores graviffimi clariffimique, operis fui Tomo I. p. 423. memoriae falfo * prodiderunt. ANNA enim Regina illa, humanis rebus exemta: eruditus Societatis IESV Presbyter, HOSIIque Cardinalis doctiffimi alumnus, FABIANVS QVADRANTINVS, qui Heroinae ipfi fanctiffimae fuerat à facris confeffionibus: SPECVLVM PIETATIS. CONTINENS VITAM ET OBITVM SERENISSIMÆ ANNÆ AVSTRIACÆ, POLONIÆ SVECIÆQVE REGINÆ INCLYTÆ: SIGISMVNDI III, POLONORVM SVECORVMQVE REGIS POTENTISSIMI, CONIVGIS. Quae anno falutis M. D. XC. VIII. IV Idus Februarii, de vita mortali tranfiit ad immortalem. à fe ipfo confcriptum: Regioque Principi VLADISLAO, eiusdem Reginae decenni filio, dicatum. BRVNSBERGÆ, TYPIS GEORGII SCHOENFELS. ANNO DOMINI MDCV. forma 4 publicavit.

* Hunc in errorem inducti, à CHRISTOPHORO HENDREICH, Electoris Brandenburgici FRIDERICI III Bibliothecario eruditiffimo, in PANDECTARVM BRANDENBVRGENSIVM Parte I. p. 198. a.

V.

ARCHIDIACONVS Gnefnenfis anonymus: fcriptor CHRONICI POLONIAE: vide IOANNES Gnefnenfis Archidiaconus.

IACO-

IACOBVS ARCISZEWSKI, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, PETRIque TOMICII Epiſcopi maximi Vicarius generalis: iuris civilis ac pontificii ſummè peritus, elegantioribusque litteris haud leviter imbutus: Cracovienſem Academiam bis rexit, et quibuscunque potuit, modis adjuvit, immo vero etiam adauxit. Doctos viros ac ſtudioſos juvenes bonitate et beneficentia paterna complexus: RVDOLPHVM AGRICOLAM Iuniorem, IOANNEMque ANTONINVM, atque ANSELMVM EPHORINVM, fovit peculiariter. TOMICII Pontificis animum, erga STANISLAVM HOSIVM, Conſulis Cracovienſis filium, aperuit. Suaſuque ſuo effecit facillimé, ut adoleſcens ille, ingenii ac morum laude florentiſſimus, ab Antiſtite ſapientiſſimo, ſtudiorum cauſa Bononiam, Pataviumque, ſumtu liberali mitteretur. Quem, in patriam reducem, haud vidit ARCISZEWSCIVS. Mortuus enim ipſe eſt, VI Kalendas Auguſti, humanae ſalutis anno MDXXXIII: aetatis ſuae annum agitans tertium et ſexageſimum. Amabatur mirificè, fratrisque in loco habebatur, à TOMICII Epiſcopi atque Heri ſui nepote, ANDREA CRICIO, Praeſule tum Plocenſi. Qui, demortuum ipſum, nomine avunculi ſui, ſenecta invalidi, Cracoviae in Baſilica Divi STANISLAI apparatu magnifico ſepelivit:

tumulumque, quo ſitus eſt, Elegis ſuis condecoravit.

VI.

ALBERTVS BARANOWSKI*, cum Premiſlienſis eſſet Epiſcopus atque Regni Poloniae Procancellarius: SIGISMVNDO III Regi tunc maximè acceptus: Principi huic, menſe Auguſto anni MDLXXXIX, cum Patre IOANNE Rege Suecorum, Revaliae in Eſtonia convenienti, comes fidiſſimus, conſiliorumque eius miniſter et adiutor praecipuus adhaeſit. Illiusque itineris atque congreſſus ** memoratiſſimi commentarium, propria manu ſua conſcriptum, reliquit. Quem auctor graviſſimus, STANISLAVS KOBIERZICIVS Caſtellanus Gedanenſis, oculis ſuis non viſum tantùm, ſed etiam attentè perlectum, in HISTORIA VLADISLAI, POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPIS, ELECTIQVE MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS, p. 38 ſq. laude inſigni proſequitur. BARANOVIVS ipſe, reverſus cum Rege in Poloniam, Epiſcopatum Plocenſem obtinuit. Quem, poſt annos quindecim, cum Vladiſlavienſi praedivite, permutavit. Nactus tandem eſt, ſucceſſu felicitatis continuae, Gneſnenſis Archipraeſulis atque Regni Poloniae Primatis dignitatem. Conceſſit vita propè ſeptuagenarius:

IX

IX Kalendas Octobreis, an. MDCXV. Exſtabant olim in ZALVSCIANO Muſeo publico: Statuta Synodalia Dioeceſeos Plocenſis, die XXXI Aprilis, anno MDXCIII, Plociae ab ALBERTO BARANOWSKI Antiſtite lata. 4. MS. Aderant etiam: Conſtitutiones Synodi Dioeceſanae Vladiſlavienſis, die XVII Septembris, anno MDCVII, Vladiſlavienſi in Eccleſia Cathedrali, ab Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. Domino ALBERTO BARANOWSKI, Epiſcopo Vladiſlavienſi et Pomeraniae, celebratae. *Cracoviae* ex Officina ANDREÆ PETRICOVII, anno eodem. 4. Opuſculum utrumque, magno cuidam Praeſuli ac Senatori commodatum, periit. Servatur adhuc: Concilium Provinciale Regni Poloniae: Praeſide BERNARDO MACIEIOWSKI S. R. E. Presbytero Cardinali et Archiepiſcopo Gneſnenſi Petricoviae MDCVII celebratum: ab ALBERTO BARANOWSKI autem Gneſnenſi Archipraeſule, praemiſſa ſua, ad Archiepiſcopum Leopolienſem, reliquosque Epiſcopos Regni Poloniae, Epiſtola promulgatum. *Cracoviae*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII, Typographi Regii, anno Domini MDCXI. 4. Eſt praeterea: Synodus Dioeceſana Gneſnenſis, ab Illuſtriſſimo et Reverendiſſimo ALBERTO BARANOWSKI, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniae Primate primoque Principe, habita Lovicii, Anno Domini MDCXII, Die IX Maii. PAVLO V Summo Pontifice, Eccleſiae Dei feliciter praeſidente. *Cracoviae*, ex Officina ANDREÆ PETRICOVII, Anno Domini MDCXII. 4.

* Vitae eius ſecretiora, ſummae et dignitatis et auctoritatis ſcriptor, PAVLVS PIASECIVS Antiſtes Premiſlienſis, in CHRONICIS GESTORVM IN EVROPA SINGVLARIVM, Amſtelodami editis, p. 12. 78. 91. 210. attigit. Quae, in Plocenſi Epiſcopatu, à BARANOVIO ſunt geſta: STANISLAVS LVBIENSCIVS Plocenſis ipſe Pontifex, in VITIS EPISCOPORVM PLOCENSIVM. p. 184 — 189 prudentia et induſtria maxima expoſuit. Cuius ſacris veſtigiis inſiſtens STEPHANVS DAMALEVICIVS, in VITIS VLADISLAVIENSIVM EPISCOPORVM. p. 429 — 434: inque SERIE ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM. p. 347 — 351 BARANOVII acta recenſuit. Pleniorem eius hiſtoriam, nec minus accuratam, STANISLAVS BVZENSCIVS, in VITIS ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM ET REGNI POLONIÆ PRIMATVM: quae lucem publicam nondum adſpexerunt: p. 1251 — 1292 pertexuit.

** Sparſus tunc rumor à malevolis fuit: SIGISMVNDVM Revaliae cum Patre IOANNE, de Regno Polonorum, ERNESTO Archiduci Auſtriae tradendo, conſilia agitaſſe. Pactas iam cum ERNESTO conditiones: SIGISMVNDO Suecorum Regi futuro, et Sueciae Regno, quaeſtuoſiſſimas: per totam Poloniam divulgatas, PIASECIVS p. 78, in medium attulit. De qua re tam gravi, in BARANOVII commentario diurno, ſe nihil annotatum comperiſſe, KOBIERZICIVS p. 39, teſtatur. HEIDENSTEINIVS Iunior Gedanenſis Caſtellanus, è Parentis ſui chartis, in RERVM POLONICARVM AB EXCESSV SIGISMVNDI AVGVSTI Libro IX, p. 286 — 288, de Revalienſi illo congreſſu atque colloquio plura commemoravit. Nec praebitae inde ſuſpicionis, de Regno Polonico, à SIGISMVNDO Rege, ad ERNESTVM Archiducem deferendo: neque conditionum cedendi Regni mentionem eſt transgreſſus. Quibus tamen ipſe fidem nullam habuit.

VII.

STANISLAVS à Rzeplin BARANOWSKI, Eques Polonus: Nobilitatis Polonae ac Lituanae inſignia gentilicia facinoraque praeclara: patrio ſermone, à BARTHOLOMÆO PAPROCIO, ad annum MDLXXXIV ordine enumerata:

rata: eadem ratione ac diligentia, usque ad annum MDCXXXV eſt perſecutus. Grande ipſius volumen: typis nunquam exſcriptum: ZALVSCIANOS inter Codices † manu exaratos religioſè aſſervatur.

† Sub Numero CCCXIII.

VIII.

BARBARA Scepuſienſis Comitis, Pannoniaeque Palatini, STEPHANI filia: SIGISMVNDI PRIMI Polonorum Regis uxor prima atque amantiſſima: Latinam linguam ita edidicit, ut Latii veteris auctores ſatis intelligeret. Regemque maritum, è regno ſuo abſentem, proſecuta eſt epiſtolis Latinis. In quibus exarandis, Cancellario ſuo, ANDREA CRICIO, Poſnanienſis tunc Eccleſiae Cathedralis Scholaſtico utebatur. Exſtant, in publica Bibliotheca ZALVSCIANA, epiſtolae illae: à STANISLAO GORSCIO, Cracovienſi atque Plocenſi Canonico Cathedrali, ſtudioſiſſimè collectae: ACTISque SIGISMVNDI PRIMI REGIS, et propriis CRICII operibus MSS. inſertae.

IX.

GODISLAVS BASCO *, ut Theſaurarius Epiſcopi Poſnanienſis BOGVPHALI II: quinto

quinto Nonas Iunii MCCLII: Epiſcopi illius atque Poſnanienſium Canonicorum nomine, ERECTIONEM ECCLESIAE GORENSIS in Archidiaconatu Cernenſi, qui hodie Varſavienſis vocatur, perſcripſit. Diploma illud, IVRIBVS ET PRIVILEGIIS GORENSI ECCLESIAE PAROCHIALI ANTIQVITVS CONCESSIS, Varſaviae autem à CAROLO SCHREIBER, Typographo Regio, anno Domini MDCLXXX, folii magnitudine excuſis, p. I. eſt inſertum. Mortuus BOGVPHALVS Epiſcopus ipſe eſt, quinto Idus Februarii MCCLIII. Relictum ab eo CHRONICON LECHITARVM ET POLONORVM, BASCO temporibus inſecutis, usque ad annum MCCLXXI continuavit. BASCONIS opus, BOGVPHALI operi attextum: ZALVSCIANOS inter Codices manuſcriptos, patrias res complectentes: in Volumine ducenteſimo tertio **, reperitur. Opus quidem utrumque à FRIDERICO WILHELMO SOMMERSBERGIO, Equite Sileſio, Lipſiae anno MDCCXXX, folii magnitudine, inter SILESIACARVM RERVM SCRIPTORES, Tomo II, p. 18 — 78, publicatum fuit. E quo Volumine IOSEPHVS ANDREAS Comes ZALVSCIVS, Regni Poloniae adhuc Referendarius ſupremus: ante obtentum Codicem manuſcriptum: Varſaviae anno MDCCLII, Collegii SCHOLARVM PIARVM typis, forma 4, denuò exſcribi mandavit.

Conjici

Conjici ex opere BASCONIS poteſt: ipſum, BOGVPHALO III Antiſtite, Poſnanienſem factum eſſe Cuſtodem Cathedralem. Qua praeditus dignitate, poſt BOGVPHALI III obitum, electioni IOANNIS, Poſnanienſis antea Archidiaconi, viri litterati adfuit. Cuius confirmandi cauſa: GODISLAVS ille BASCO, Poſnanienſis Eccleſiae cuſtos, à Collegio Canonicorum, ad CLEMENTEM IV Pontificem Maximum, Viterbii tunc agentem, fruſtra miſſus eſt. CLEMENS enim Pontifex Capellanum ſuum, NICOLAVM Scholaſticum Cracovienſem: referendae in Sanctorum numerum Divae HEDVIGIS negotium in Curia Romana, tempeſtate illa, tractantem: Epiſcopum Poſnanienſem renunciavit atque conſecravit. Quando BASCO morte obierit, minimè conſtat.

* BASCONIS Hiſtorici vetuſti, primus omnium, IOANNES DLVGOSSVS, Canonicus Cracovienſis, in ANNALIBVS POLONICIS, ſub anno MCCLVII, mentionem habuit. CHRISTOPHORVS deinde VARSEVICIVS, Cracovienſis itidem Canonicus, in opuſculo exili, ſed ſummè raro, cui titulus: REGES, SANCTI, BELLATORES, SCRIPTORES POLONI: p. 21, BASCONEM nominavit. Falſò autem VARSEVICIVS retulit: BASCONEM hiſtoriam ſuam, anno MCCCLXX, CASIMIRO MAGNO Rege, ſcripſiſſe. Errantem VARSEVICIVM ſecutus: CHRISTOPHORVS HARTKNOCHIVS, Thorunienſis Gymnaſii in Pruſſia Sarmatica Propraefectus, initio Catalogi Scriptorum Polonicorum: quem egregio operi ſuo, DE REPVBLICA POLONICA, praemiſit: idem de BASCONE narravit. Deceptus ab utroque, Princeps IABLONOVIVS doctiſſimus, omnisque antiquitatis Polonae peritiſſimus, in Prooemio MVSEI POLONI, p. 3, aſſeruit: GODISLAVM BASCONEM, Cuſtodem Cathedrae Poſnanienſis, Hiſtoriam ſuam,

ab exordio Gentis ſuae, usque ad annum MCCCLXX, hoc eſt, ad ipſum exceſſum CASIMIRI MAGNI, produxiſſe. Quamvis Celſitudo Sua, BASCONEM à SOMMERSBERGIO editum, à BOGVPHALI Maecenatis ſui diſceſſu, ultra annum MCCLXXI non progreſſum, integrum agnoverit: cariſſimoque amico atque affini ſuo, Comiti ZALVSCIO, BASCONIS ſic in lucem revocandi, auctor ipſamet fuerit.

** STANISLAI AVGVSTI Regis, antiquitatis domeſticae admiratoris atque amatoris maximi ſumtu, pulchrè reparato. Ad ANDREAM KOSCIELECIVM, Caſtellanum Voynicenſem, Regnique Poloniae Theſaurarium, anno MDXIII pertinuiſſe: tegumenti priſci inſcriptio teſtabatur.

X.

GRISELDIS BATHOREA, Tranſylvaniae Principis CHRISTOPHORI filia: Poloniaeque Regis STEPHANI neptis: Regni Polonici Cancellario copiarumque Duci ſupremo IOANNI ZAMOISCIO nupta: elegantioribus omnibus litteris maximè ornata fuit. Linguamque Latinam tam probè calluit, ut cum Heroe marito ſuo, haud aliter, quam Latinè loqueretur. Servantur, in Zamoſcenſi Bibliotheca Academica, conjugum illorum illuſtrium epiſtolae mutuae, ſermone Latino, propriis ipſorum manibus perſcriptae.

XI.

NICOLAVS de BLONIE *, ab oppido patrio, Vrbi Varſaviae vicino, ſic nominatis: iuris pontificii ſcientia et eloquen-

tia

tia ſacra celeberrimus: ante medium decimi quinti ſaeculi, floruit. Poſnanienſis Epiſcopi, STANISLAI A CIOŁEK, capellanus: Praeſulisque eiusdem, Legati à VLADISLAO IAGELLONE Rege Polonorum ad generale Concilium Baſileenſe miſſi, comes atque conſiliarius fuit. Redux è Concilio illo, Antiſtitis ſui rogatu, concionandi ad populum munere Poſnaniae in Templo Cathedrali functus eſt. Haec ferè è NICOLAI ſcriptis propriis cognovimus.

* Id cognomen, ſcribarum et librariorum ſive inſcitia, ſive licentia, modis variis eſt permutatum. Ab aliis enim de *Blouie*, ab aliis de *Ploue*, ab aliis de *Plone* dictus. Fueruntque, qui et *Plouium*, et *Plonium*, et *Pluveum* vocarent: nec non, qui ex eius cognomento, alium *Nicolaum Polonum*, eumque à NICOLAO illo de BLONIE quaſi diverſum, confingerent. Quo errore ne SIMON quidem STAROVOLSCIVS, Polonus ipſe litteratiſſimus, patriaeque antiquitatis inprimis ſtudioſus, potuit carere. Qui, in ELOGIIS ET VITIS ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Edit. Venet. p. 104 ſq. de NICOLAO noſtro, nihil veri protulit.

Eſt Cracoviae, in Bibliotheca veterrima et inſtructiſſima coenobii Ordinis Praedicatorum, nitidum volumen ** membraneum, folii magnitudine. Cui ineſt: Uenerabilis magiſtri *Nicolai* de *Blonie* decretorum doctoris et capellani reuerendi domini Epiſcopi Poznanien. tractatus de adminiſtrandis rite Eccleſiaſticis ſacramentis, celebrandisque miſſarum ſolenniis, et cenſuris Eccleſiaſticis canonice obſeruandis. ipſius reuerendi domini *Staniſlai* Epiſcopi Poznanienſis autoritate approbatus.

batus. per ſcriptorem *Iohannem* de *Gluszyno* finitus die xx Octob. anno a natiuitate Chriſti M° CCC° XXXVIII. Eſtque ibidem, apud S. FRANCISCI Sodales, qui Conventuales vocantur, codex membranaceus, forma 4, vitioſè ſcriptus.

** Quod oculis meis inſpexi, et diligenter examinavi, menſe Iulio anni MDCCLII.

Operis eiusdem codex chartaceus bonae notae, forma 4 maiori: à quodam *Laurentio*, Poſnanienſis Dioeceſeos Presbytero, anno Domini MCCCCLXXI, deſcriptus: Varſaviae invenitur *** in ZALVSCIANA Bibliotheca publica. Ordine eſt MDCCCCLXXXVIII.

*** Fuit olim Fratrum Minorum Obſervantium Radomiae.

Servantur nunc, eadem in Bibliotheca, hae editiones, typographorum formulis exſcriptae:

I.) Uenerabilis uiri magiſtri *Nicolai* de ploue decretorum doctoris et capellani epiſcopi poſnonienſis tractatus ſacerdotalis perutilis. de adminiſtratione ſacramentorum. de expoſitione officii miſſe. de dicendis horis canonicis. deque cenſuris eccleſiaſticis canonice obſeruandis. Impreſſus *Argentine* anno domini MCCCCLXXXVII. in die ſanctorum Marci et Marcellini. 4.

II.) ———————— Impreſſus *Argentine* per *Martinum Flach.* Anno domini MCCCCXCII. 4.

III.)

III.) ——————— Ibidem: per eundem typographum: anno domini MCCCCXCVI. 4.

IV.) ——————— Itemque, anno domini MCCCCCIII. 4.

V.) ——————— Impressus *Argentine* per *Ioannem Knoblouch*. Anno domini MCCCCCVIII. 4.

VI.) ——————— Impressus *Cracouie* in edibus prouidi viri domini *Ioannis Haller*. Anno 1519. 4.

VII.) ——————————— *Cracouie* per *Mathiam Scharffenbergk*. Expensis *Marci Scharffenbergk* Bibliopole Cracouiensis. Anno salutis nostre 1529. 4.

VIII.) Tractatus Sacerdotalis utilissimus domini *Nicolai* de *Ploue*, decretorum doctoris, capellanique ecclesie Posnoniensis: de sacramentis et diuinis officiis.

De expositione Misse.
De dicendis horis canonicis.
De sententia excommunicationis et suspensionis.
De interdicto ecclesiastico.
De irregularitate.

Superadditum est, in fine huius tractatus, Confessionale beati *Thome* de *Aquino*.

Impressum *Parisiis*, in Sole aureo vici diui *Iacobi*, per magistrum *Bertholdum Rembolt*: anno Domini Millesimo quingentesimo decimo sexto, die vero XVII mensis Decembris. 8 mai.

IX.) ——————————— *Parisiis*, in edibus *Claudii Cheuallon*, sub Sole aureo, in via ad diuum *Iacobum*. Anno Domini MCCCCCXXV. Mense Octobri. 8 mai.

x.) ——————————— *Parisiis*, apud *Ioannem Longis*, in aula regia Palatii. Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Decima Martii. 8 mai.

xi.) ——————————— *Parisiis*, ex officina *Francisci Regnault*, sub intersignio Elephanti, via ad diuum *Iacobum*. 1540. 8 mai.

xii.) Tractatus Sacerdotalis, *D. Nicolao* de *Ploue*, doctore decretorum, autore. Huic accessit Confessionale diui *Thomę* de *Aquino*. *Lugduni*, apud *Thomam Bertellum*. 1553. 8 min.

xiii.) ——————————— *Venetiis*, apud *Dominicum Lillium*, MDLXIV. 12.

xiv.) ——————————— *Lugduni*, apud *Gulielmum Rouillium*, sub scuto Veneto. MDLXV. 8 min.

xv.) ——————————— *Venetiis*, apud *Ioannem Variscum*, et Socios. MDLXVI. 8 min.

Depromta sunt è NICOLAI de BLONIE opere: sub *Plouii* Posnoniensis appellatione: debita cum ipsius laude: quae, in TRACTATVVM, ILLVSTRIVM IN VTRAQVE, TVM PONTIFICII, TVM CÆSAREI IVRIS FACVLTATE IVRISCONSVLTORVM, Tomo XIV, p. 77—91. De Sacramentis et eorum administratione: p. 91—97. De Sacrificio Missae: p. 333—335 De Interdicto Ecclesiastico: p. 363—366 De Excommunicatione: p. 400—403 De irregularitate: Tomi autem XV, Parte II, p. 564 sq. De Horis Canonicis, leguntur. Repetitaque, è TRACTATVVM illorum Tomo XIV: quae FRANCISCVS MODIVS, Iurisconsultus Brugensis, RERVM CRIMINALIVM Tomo posteriori,

riori, p. 152 — 160, ſub nomine Domini NICOLAI PLOVII, De irregularitate inſeruit.

Exſtant praeterea in Bibliotheca ZALVSCIANA: Sermones uenerabilis magiſtri *Nicolai* de *Blony* decretorum doctoris. capellani epiſcopi Poſnonienſis. ualde deſeruientes populo. ſed et clero utcunque docto eos digne legenti. predicanti. aut audienti. de tempore et de ſanctis. Conſcripti ab eodem anno Domini MCCCCXXXVIII. ut uidetur capi ex ſermone CXIII. circa medium membri primi eiusdem ſermonis. Impreſſi *Argentine* anno Domini MCCCCXCV. folii magnitudine †. Adeſtque huius operis editio recentior, cum illa inſcriptione: R. D. NICOLAI POLONI, Decretorum Doctoris, et Reuerendiſſ. Epiſcopi Poſnanienſis Sacellani, ac Concionatoris celeberrimi, SERMONES ſuper EVANGELIA Dominicalia, et praecipua Sanctorum Feſta totius anni, ad populum inſtruendum exquiſitiſſimi, vulgò VIRIDARIVM nuncupati. Opus multis in locis recognitum, mendis ſublatis, notis marginalibus illuſtratum, et ad Concionatorum utilitatem denuò editum. COLONIÆ AGRIPPINÆ apud IOANNEM CRITHIVM ſub ſigno Galli. Anno MDCXIII. 4.

† ANNALIVM TYPOGRAPHICORVM auctor excellentiſſimus, MICHAEL MAITTAIRE, Tomi I, Parte II, p. 541, *Nicolai Plonii* Poſnanienſis Sermones de tempore et de ſanctis, *Argentine* MCCCCXCI excuſos, commemorat. Idemque p. 580. 595. 675. editiones *Argentinenſes*, annorum MCCCCXCIV, MCCCCXCV, MCCCCXCVIII, nomine *Nicolai* de *Blony* adornatas, indicat.

Reperiri Cracoviae, in Tabulario Cathedrali: De obitu Chriſtianiſſimi ac Sereniſſimi principis domini *Wladiſlai* Regis Polonie et Lituanie Ducis ſupremi: deque exequiis eidem Regi Baſilee in Eccleſia maiori: preſentibus ſacri concilii Patribus Regumque et principum Chriſtianorum oratoribus: cura et ſumtibus Reuerendiſſimi patris domini *Staniſlai Cziolek* Epiſcopi Poznanienſis Regisque et nationis Polonice oratoris ſolenniter peractis: narrationem uenerabilis magiſtri *Nicolai* de *Blonie* Decretorum doctoris et capellani eiusdem Epiſcopi: ſaeculi decimi quinti exitu, in membrana, forma 8 maiori, exaratam: annotatum eſt à Praeſule Kiovienſi doctiſſimo, IOSEPHO ANDREA Comite ZALVSCIO, in INDICE CODICVM MANVSCRIPTORVM, alienis in Bibliothecis à ſeipſo inventorum, p. 10. a.

XII.

IAROSLAVS BOGORIVS, Polonorum genere vetuſtiſſimo natus, Cracovienſis primùm Archidiaconus, atque Gneſnenſis Canonicus fuit. Impetrato Gneſnenſi Archiepiſcopatu: praeclarè de univerſa Eccleſia Polona meruit. Provincialem Synodum Caliſſii, Gneſnenſis Archidioeceſeos civitate clariſſima, octava die menſis Ianuarii, anno Domini MCCCLVII celebravit: cui veneran-

di

di Patres, BODZANTA IANKOWSKI Cracoviae Pontifex, MATHIAS GOLANCZEWSKI Epiſcopus Vladiſlavienſis, CLEMENS PIERZCHALA Plociae Antiſtes, IOANNES DOLIWA Praeſul Poſnanienſis: PRZECZLAIque De Pogorzelecz Vratiſlavienſis Epiſcopi, atque HENRICI Antiſtitis Lubuſſenſis, Nuncii et Procuratores interfuerunt. Sancitae, ab iis, Conſtitutiones Eccleſiarum Poloniae, BOGORII Archiepiſcopi cura, à viro litterato, folio parvo eleganter deſcriptae fuerunt: appoſitis veterrimis, FULCONIS atque IANUSSII, IACOBIque SWINCAE, Archiepiſcoporum Gneſnenſium: GUIDONIS quoque S. LAURENTII in Lucina Presbyteri Cardinalis, atque PHILIPPI Epiſcopi Firmani, Apoſtolicae Sedis in Polonia Legatorum, Statutis. Servatumque autographum in Tabulario Gneſnenſi Metropolitano fuit, usque ad AVGVSTI II Regis tempora. Quibus, à Suecicae militiae ductore: ſtudio hiſtoriarum magnopere dedito, veterumque monumentorum peculiariter curioſo: aliis cum ſpoliis Eccleſiaſticis ac litterariis, Upſaliam muſarum Suecicarum ſedem, fuit devectum. Ubi, anno Salutis MDCCXLI, MVSAGETA Polonorum IOSEPHVS ANDREAS ZALVSCIVS, ſupremus tunc Regni Polonici Referendarius, feliciter recuperavit. Qui Bibliothecae ſuae, importato hoc cimelio, ornamen-

 tum

tum haud parvum addidit. Mortuo nunc ZALVSCIO ipſo Kioviae et Czernichoviae Antiſtite: Rex atque Pater patriae STANISLAVS AVGVSTVS, vindex et conſervator Bibliothecae publicae, BOGORIANVM Codicem iuſſit ſplendidiùs veſtiri, interque monumenta * domeſticae antiquitatis eminentiora reponi, BOGORIVS ipſe, Gneſnenſis Archiepiſcopus, ſenecta longa confectus, luminibusque captus, muneri ſuo renunciavit: vitam reliquam traducturus in Coenobio Landenſi Ciſtercienſis familiae. Cuius taedio nimio, Caliſſium Archiepiſcoporum tùm domicilium principale reverſus, piam animam efflavit XV Kalendas Octobreis, MCCCLXXVI: impleto aetatis anno centeſimo. Quid ab ipſo, in ornando, amplificandoque Archiepiſcopatu Gneſnenſi, ſit praeſtitum: IOANNES Archidiaconus Gneſnenſis, qui Archipraeſuli illi fuit perfamiliaris, perqueiucundus, in CHRONICO POLONIAE, à SOMMERSBERGIO, inter SILESIACARVM RERVM SCRIPTORES, Volumine II, divulgato p. 116. incultè quidem, ſed accuratè enarravit: IOANNES deinde DLVGOSSVS, Gneſnenſis atque Cracovienſis Canonicus, in ANNALIBVS POLONICIS, ſub anno MCCCLXXVI, verbis magis nitidis repetiit: MARTINVS autem CROMERVS, Epiſcopus Varmienſis, DE ORIGINE ET

REBVS

REBVS GESTIS POLONORVM, Libro XIII, p. 224, ſtylo nobili expreſſit.

* Locum ſuum obtinuit, ſub Numero CCLXXV.

XIII.

BOGVPHALVS Epiſcopus Poſnanienſis huius nominis ſecundus: hiſtoriae patriae ſcriptor inclytus: VINCENTIO KADLVBKONI Pontifici Cracovienſi, antiquiſſimo è Gente Polonorum Hiſtorico, aetate ferè aequalis fuit. De quo ipſe, principio CHRONICI ſui, perhonorificam fecit mentionem. Duxitque BOGVPHALVS è ROSARVM domo nobiliſſima: qua KADLVBKO fuerat ortus: genus ſuum. Ante adeptum Epiſcopatum, functus eſt Primicerii Poſnanienſis atque Canonici Cracovienſis honore. Epiſcopatum autem Poſnanienſem annis X, menſibusque VI, et diebus XV, ſumma cum laude rexit. Prudentiaeque et integritatis opinione, apud Poloniae atque Sileſiae Duces ſui temporis, plurimùm valuit. A quibus, iudicandis ac dirimendis ipſorum controverſiis maximis, ſaepenumerò arbiter eſt ſumtus. Doctus atque eruditus fuit, prout aetas illa ferebat. Deditiſſimus inveſtigandis annalibus patriis. Quos in Eccleſiis diverſis ſe reperiſſe, ait. Bibliothecam propriam ſuam: quam ſtudio ſin-

gulari conquisiverat: Cathedrali Ecclesiae Posnaniensi legavit. Posteritati serviit maximè, conscripto à se * CHRONICO LECHITARVM ET POLONORVM. Coepit opus illud à LECHO: qui auctor generis ac Regni Polonici visus ipsi est. Persecutus Gentis Polonicae gesta est usque ad annum MCCLIII. Nam quinto Idus Februarias eiusdem anni BOGVPHALVS ille, Praesul eximius, vivere desiit. CHRONICON eius, à GODISLAO BASCONE, familiari BOGVPHALI intimo, Posnaniensique postea Custode Cathedrali, ad annum MCCLXXI, continuatum fuit. Opus utriusque auctoris coniunctum, temporibus nostris, bis in lucem prodiisse: suprà in BASCONIS elogio memoratum est. Ubi etiam, de praestantissimo BOGVPHALI atque BASCONIS Codice, manu exarato: ZALVSCIANA in Bibliotheca reposito: mentio injecta fuit.

* Princeps Historicorum Polonorum, IOANNES DLVGOSSVS, Cracoviensis Canonicus, in ANNALIBVS suis POLONICIS, sub anno MCCLIII: inque VITIS EPISCOPORVM POSNANIENSIVM, p. 44, demortui Posnaniensis Episcopi BOGVPHALI II doctrinam, et litterarum amorem, bibliothecamque temporibus illis insignem, meritò extulit: relictum autem ab ipso CHRONICON, sibi ut puto haud ignotum, prorsùs siluit.

XIV.

BONA SFORTIA, filia IOANNIS GALEATII Sfortiae Comitis Mediolanique Ducis:

Ducis: altera SIGISMVNDI PRIMI Polonorum Regis uxor: cura et diligentia matris ſuae, ISABELLÆ ARRAGONIÆ, mulieris ſagaciſſimae, humanioribus litteris, et liberalibus diſciplinis, egregiè fuit inſtituta. Latinaeque linguae ita aſſuevit ab annis teneris, ut deinceps ad connubii Regalis honorem provecta, in colloquiis cum Rege marito, Regnique Primoribus ſibi familiariſſimis, lingua illa potiſſimum uteretur. Exſtant, in ZALVSCIANA Bibliotheca, inter ACTA SIGISMVNDI PRIMI REGIS, epiſtolae permultae, à BONA Regina, ad Regem ipſum, et ad Regni ſui Proceres, Latinè ſcriptae. In quibus expediendis, STANISLAVS GORSCIVS, Canonicus Cracovienſis atque Plocenſis, operam plurimam Reginae illi doctiſſimae navavit.

STANISLAVS ORICHOVIVS, Premiſlienſis Decanus Cathedralis: princeps ille omnium Poloniae oratorum: ſub finem PANEGYRICI NVPTIARVM, SIGISMVNDI AVGVSTI POLONIÆ REGIS, ET CATHARINÆ AVSTRIACÆ FERDINANDI CÆSARIS FILIÆ: matris Regis, BONÆ SFORTIÆ illuſtria atque immortalia in litteratam Sarmatiam merita, verbis iis dignè extulit. „Iam vero cum non ſo„lum ſalus, ſed maieſtas etiam regni his nuptiis nita-

„tur, eas piè inviolatèque conſervare debemus. „Quam enim potens, et floridum fuerit regnum SI„GISMVNDI Regis defuncti, meminiſtis, et ta„men nulla alia re magis Rex ille cum ſuo regno flo„ruit, quam BONÆ SFORTIÆ nuptiis: quae „prima in Poloniam humanitatem hanc invexit, qua „non aequare modo, ſed etiam ſuperare multas gen„tes videmur. Quid? haec copia, hi mores, hae „litterae, haec denique tanta in omni doctrinarum ge„nere praeſtantia veſtra, unde nata aut orta eſt, niſi „ex connubio BONÆ cum SIGISMVNDO Re„ge? BONA Regina haec peperit omnia: haec nos „ab illa feritate Sarmatica ad hunc vitae cultum rede„git: perfecitque, ut humanitate Italis, doctrina Grae„cis pares ſimus. Si ergo tanta, tamque eximia mu„nera BONA Regina, in fera, incultaque Polonia, „cum SIGISMVNDO Rege poterat conſtituere: „CATHARINA haec parata iam, et culta, non„ne cumulabit omnibus divinis et humanis laudibus? „Adſit tantum favor et obſervantia illa priſca, qua „Regum ſuorum connubia coluit genus noſtrum. „Spero nos, liberosque noſtros, multa bona in hoc „matrimonio eſſe viſuros: modo ita, uti facimus, „cum Rege noſtro, illiusque ſacrata conjuge, una men„te, et uno animo vivamus.

BONA illa SFORTIA, Reginarum Poloniae maxima, cum poſt exceſſum SIGISMVNDI SENIORIS Regis, Polonia relicta, in Barenſi Ducatu ſuo commoraretur:

tur: è vicinis hominibus eruditis, QVINTVM MARIVM CORRADVM Uritanum, in eloquentia praeſtantiſſimum, invitavit: qui * propriam ipſius vitam exponeret, Poloniaeque Regum omnium res benè geſtas monumentis et litteris mandaret. Qui tamen nimiopere ab aulae frequentia ac ſtrepitu abhorrens, ad Reginam accedere tam diu eſt cunctatus, donec ipſa diem obiret ſupremum.

* Didicimus hoc è CORRADI VITA: quae ipſius operi, DE COPIA LATINI SERMONIS, ab ANTONIO AMANTIO eſt praemiſſa. Eque CORRADI ipſius epiſtolis, ad DONATVM ARGENTARIVM, PAVLVMque MANVTIVM ſcriptis: quae EPISTOLARVM ſuarum Volumini, p. 130. 131. 141. 142. ſunt inſertae.

XV.

JOANNES BREGENSIS, dictus ſic eſt, à patria ſua, Sileſiae civitate ornatiſſima. Compoſuit ille CHRONICON POLONORVM, à LECHI temporibus, ad annum MCCLXXVIII. Abſolvit opus ſuum anno MCCCLIX, ſabbato ante Dominicam, qua canitur: CANTATE DOMINO; quemadmodum ipſe, ſub finem, manu ſua annotavit. Autographum fuit, anno inſequenti, à LVDOVICO, Duce Sileſiae ac Domino Bregenſi, comparatum: conditaeque à ſe Eccleſiae Collegiatae, quae à Diva HEDVIGI nomen habet,

bet, donatum: ubi, noſtro adhuc aevo, peregrinatoribus doctis oſtenditur. Uſus eo, primus omnium, eſt MARTINVS HANKIVS, antiquitatis Polonicae ac Sileſiacae indagator, aſſertorque acerrimus, in contexendo opere ſuo: DE SILESIORVM REBVS, AB ANNO CHRISTI CCCCCL, AD ANNVM MCLXX. Relictum ab ipſo apographum, filius eius, GOTTFRIDVS nomine, cum FRIDERICO WILHELMO DE SOMMERSBERG communicavit. Qui CHRONICO huic, inter SILESIACARVM RERVM SCRIPTORES, Tomo I. p. 1 — 13, locum primum dedit. Unde Comes ZALVSCIVS: unà cum BOGVPHALI Poſnanienſis Epiſcopi, atque BASCONIS Cuſtodis, CHRONICO LECHITARVM ET POLONORVM: rurſùs curavit excudendum.

XVI.

Clericus BREGENSIS *, neſcio quis, ſaeculo XIV ferè exeunte, vixit. Patriarumque rerum cognitione et peritia: VENCESLAO Sileſiae Duci Lignicenſi atque Pontifici Vratiſlavienſi: aequaliterque LVDOVICO Bregenſi, atque RVPERTO Lignicenſi, Sileſiae Ducibus, commendatus: ipſorum impulſu, CHRONICON POLONORUM, ET DUCATUUM SILESIAE **, à

LECHI

LECHI aetate, usque ad annum MCCCLXXXII, concinnavit. Idque Principibus iisdem obtulit. Exſtat eius operis vetus codex membranaceus † in Bibliotheca Leubuſienſis Coenobii, familiae Ciſtercienſis, Sileſia tota vetuſtiſſimi ac nobiliſſimi. Eſtque Varſaviae, ZALVSCIANA in Bibliotheca publica, chartaceus codex, antiquus et bonae notae, ſed imperfectus ‡. Peculiarem codicem SOMMERSBERGIVS in Bibliotheca ſua, habuit. Quem, cum SCHAFFGOTSCHIANO ††, diligenter contulit. Adhibito utroque: CHRONICON illud, inter SILESIACARVM RERVM SCRIPTORES, Tomo I. p. 13—63 ††† expoſuit luci publicae.

* Exorſus eſt CHRONICON ſuum his verbis: In nomine Sanctiſſime et Individue Trinitatis, Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Ego minutiſſimus in Domo Domini, ad laudem omnipotentis Dei, glorioſe Genitricis eius, utriusque *Iohannis Baptiſte* pariter et *Iohannis Evangeliſte*, ſimul et beate *Hedvigis* olim Ducisse Polonie, Patronorum noſtrorum. E quibus conjici poteſt, ipſum adſcriptum fuiſſe Bregenſi Eccleſiae Collegiatae: quae Divo et IOANNI BAPTISTÆ, et IOANNI APOSTOLO atque EVANGELISTÆ, Divaeque HEDVIGI, erat conſecrata.

** Titulus hicce ZALVSCIANO codici MSto inditus, nobis perplacet. CHRONICO enim ipſo, non Principum Poloniae ſolum, verum etiam Sileſiae Ducum res geſtae, eadem induſtria traduntur.

† Indicatur, ab ANALECTORVM SILESIACORVM collectoribus, Sect. I. p. 24. Memoraturque, ab iis, operis eiusdem verſio Theotiſca; ignoto ab auctore, ſaeculi XVI initio, profecta.

‡ Expoſitis enim actionibus BOLCONIS II, Ducis Monſterbergenſis, anno MCCCXLI vita defuncti, deſinit. Ordine

eſt

est ccvii. Fuit olim IOANNIS PISTORII, Vratislaviensis Praepositi Cathedralis: collectis studio maximo, communemque in usum divulgatis, Polonicarum pariter atque Germanicarum historiarum monumentis, clarissimi.

†† Qui tunc ad IOANNEM ANTONIVM Comitem SCHAFFGOTSCH, Supremae in Silesia utraque Curiae Praesidem, pertinebat.

††† Inscriptione illa, minùs accurata: CHRONICA PRINCIPUM POLONIAE CUM EORUM GESTIS.

XVII.

IOANNES BRIGER Polonus. isque Cracoviensis Ecclesiae Cathedralis Vicarius perpetuus: sub regni SIGISMVNDI PRIMI initia, ingenii atque eruditionis nomine, principumque virorum amicitia et consuetudine, innotuit. Familiarissimus ANDREÆ KOSCIELECIO *, Voynicensium Castellano, Regnique Polonici Thesaurario, fuit. Mutuatoque, ab eo, antiquitatis domesticae monumento illustri: CHRONICO LECHITARUM ET POLONORUM, à BOGUPHALO Episcopo, atque BASCONE Custode Cathedrali Posnaniensi, posteris relicto **: est usus. Confecit BRIGERVS *** ipse CHRONICON POLONIAE. Cuius specimen BARTHOLOMÆVS PAPROCIVS, in proprio opere suo, DE INSIGNIBVS NOBILITATIS POLONÆ AC LITVANÆ, p. 550, protulit. A quo BRIGERVS, auctor testisque, eodem in opere, saepe-

ſaepenumero eſt citatus. Quem diem BRIGERVS expertus ſit vitae ſuae ſupremum? cui CHRONICON **** ſuum reliquerit foràs dandum? nos adhuc latet.

* Hunc, anno MDXV, VIII Idus Septembreis, demortuum: SIMONIS STAROVOLSCII MONVMENTA SARMATARVM, p. 39, referunt.

** Exemplar illud MStum, Auguſto menſe anni MDCCLXVII, ZALVSCIANAM in Bibliothecam publicam eſt illatum. Priori eius paginae, impolita manu, haec adſcripta ſunt: Chronica *Iohannis Brigar* de Oſiek, vicarii perpetui, et altariſtae Altaris tituli Mariae Virginis viſitationis, Eccleſiae Cathedralis Crac. quam mutuo accepit a magnifico *Andrea* de *Koscziekcz.*

*** BRIGERVM illum, rerum à Polonis geſtarum commentarium, ante VINCENTIVM KADLVBKONEM, Praeſulem Cracovienſem, ſcripſiſſe: falſò opinatus eſt SIMON STAROVOLSCIVS, in ELOGIIS ET VITIS ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Edit. Venet. p. 47.

**** PAPROCIVS, à quo ſit nactus, haud ſignificavit. A ZALVSCIO Antiſtite Kiovienſi, Polonorum Polyhiſtere maximo, in Bibliothecis patriis, vicinisque, per omnem aetatem ſuam, fruſtrà quaeſitum fuit.

XVIII.

STEPHANVS BRODERICVS * Illyricus, cum Quinque Eccleſiarum adhuc Praepoſitus, et LVDOVICI II Hungariae atque Bohemiae Regis Secretarius eſſet: frequentius à Rege illo, ad SIGISMVNDVM I Regem Polonorum, Orator ** miſſus, in concilianda et confirmanda inter Hungaros atque Polonos amicitia, omnem operam ſuam poſuit. Creatus, SI

GIS-

GISMVNDI Regis commendatione ***, Regni Hungariae Cancellarius: LVDOVICI Regis ſui, in expeditione infauſta, contra Turcas agitata, comes indivulſus: praelio apud Mohacium funeſtiſſimo adfuit. E quo, amiſſo Rege, fuga ipſe elapſus: evectique, ad principatum Regium, IOANNIS DE ZAPOLYA partes amplexus, Sirmienſem ab eo Epiſcopatum obtinuit. Electo autem ab Hungaris Rege altero, FERDINANDO Auſtriae Archiduce: BRODERICVS, ſubſecutum inde bellum civile defugiens, Regem utrumque, atque Patriam ſuam reliquit. Maximèque apud Polonos, ſibi amiciſſimos, diverſatus: Cracoviae, PETRI TOMICII, Vrbis illius Pontificis, Regnique Poloniae Procancellarii, uſus eſt hoſpitio † honorificentiſſimo: donec, fortuna IOANNI Regi indulgente, ad eum in Hungariam ſeſe reciperet. A quo tunc demum ad Pontificatum Vacienſem †† traductus: nobiliſſimaeque Legationi †††, Viennam ad FERDINANDVM Regem miſſae, collega datus eſt. Paceque certa atque honeſta, cum FERDINANDO, confecta: IOANNIS nomine, BRODERICVS Regem Polonorum SIGISMVNDVM I adiit ‡. Cui haud difficulter perſuaſit, ut IOANNI Regi Hungariae, filiam ſuam nomine ISABEL-

BELLAM, formae dote, animique atque ingenii virtutibus insignem, in matrimonium collocaret. Quam à patre acceptam, BRODERICVS ipse, in Hungariam, ad Regem suum ‡ adduxit.

* Vulgò BRODERITH, sive BRODERITSCH vocari: IOANNES CASPARUS KHUNIUS, in COMMENTARIO, quo BRODERICI NARRATIONEM DE PRÆLIO MONACENSI adornavit, p. 75. atque ADAMUS FRANCISCUS KOLLARIUS, in nota, quam CASPARIS URSINI VELII, DE BELLO PANNONICO, Libro VI, p. 106, apposuit: vir uterque eruditissimus: nos monuerunt.

** Idem ipse, qui postea apud Sedem Apostolicam Legati officio, summa cum laude, est functus.

*** Clarè id intelligimus, è SIGISMVNDI Poloniae Regis Epistolis, ad LVDOVICVM Regem Hungariae et Bohemiae Nepotem suum, BRODERICI gratia scriptis. Quae, in antiquo Volumine miscellaneo: quod ZALVSCIANOS inter Codices MSStos, sub numero CCXXVI, est repositum: p. 23. a. — 24. b. reperiuntur. Quibus scriba negligens temporum notas non adiecit.

‡ Copiosè magis haec enarravit STANISLAVS GORSCIVS, Cracoviensis atque Plocensis Canonicus, in VITA PETRI TOMICII EPISCOPI CRACOVIENSIS: quam SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XVI subiunxit: p. 366. Intextis iis Elegis, à STEPHANO BRODERICO Episcopo Sirmiensi, ad Cracoviensem Pontificem PETRVM TOMICIVM, paulò ante mortem eius scriptis:

Quas tibi nunc referam, Praesul dignissime, grates!
Unde petam meritis praemia digna tuis?
Tu me, dum patriis longè exulo pulsus ab oris,
Et medicae infirmus quaero salutis opem,
Complexus vero patriae pietatis amore es:
Tu pater et dominus, tu mihi frater eras.
Nil passus tunc deesse mihi, quum cuncta deessent,
Quum premerent variis me mea fata malis.
Ergo quum nequeam, quas vellem, solvere grates,
Persolvant meritis Numina sancta tuis.
Illa tibi optatam tribuant longamque salutem,
Et tribuant votis omnia fausta tuis.

Sis columen Patriae: ſis tanti gloria Regni:
Sis Patrum et Regis cura benigna tui.
Atque utinam iratos potuiſſes iungere Reges;
Laus erat haec titulis annumeranda tuis.
Nos te, ſollicita verſantem mente labores,
Vidimus. In magnis et voluiſſe ſat eſt.

†† Circa annum MDXXXVI. Fuit BRODERICO huic, anno MDXXXIV, à IOANNE Hungarorum Rege, Epiſcopatus Quinque Eccleſiarum oblatus. A cuius poſſeſſione, per Hungaros ipſos, fuit impeditus.

††† FRANCISCO DE FRANGEPANIBVS Archiepiſcopo Colocenſi, STEPHANOque BRODERICO Vacienſi Antiſtiti, et STEPHANO VERBOECIO Hungariae tum Cancellario, demandatae. De qua, inter hiſtoricos Hungariae praeſtantiſſimos, coniunctè in lucem revocatos, Tomo II: IOANNES ZERMEGH, in RERVM GESTARVM INTER FERDINANDVM ET IOANNEM HVNGARIÆ REGES COMMENTARIO, p. 406: PETRVSque DE REWA, in CENTVRIA VI, DE MONARCHIA ET SACRA CORONA REGNI HVNGARIÆ, p. 721, et 724, concinnè expoſuerunt.

‡ Socio ei adiuncto STEPHANO VERBOECIO Cancellario.

‡ PETRO PERENÆO et STEPHANO DRUGETH DE HOMONNAY, Hungaris illuſtribus, ad hanc celebritatem ipſi aſſociatis. Connubiale id negotium omnium diligentiſſimè WOLFGANGVS DE BETHLEN, in HISTORIARVM TRANSSYLVANIÆ Libro II: ſub Anno MDXXXIX: p. 94 — 99, poſteris tradidit. Pacta Matrimonialia, inter IOANNEM Regem Hungariae, et Sereniſſimam Principem ISABELLAM, SIGISMVNDI PRIMI Regis Poniae Filiam: è Regni Polonici Tabulario depromta: DOGIEL noſter, in CODICIS DIPLOMATICI REGNI POLONIÆ Tomo I. p. 132. b. — 140. b. accuratè exhibuit. In quibus BRODERICVS, Hungariae Regis Legatus, mentisque eius interpres praecipuus, Vacienſem Epiſcopum ſe dixit.

Exſtabat Ravae, in Bibliotheca collegii Societatis IESV, grande † Volumen, antiquo, ſed vario charactere, contextum: collegio illi, ſuperioribus temporibus, litterarum

rum humaniorum ſtudiis celebri, à doctiſſimo Principe FLORIANO CASIMIRO CZARTORYSCIO, Epiſcopo Vladiſlavienſi, et deſignato Gneſnenſi Archipraeſule Regnique Poloniae Primate, donatum. In quo, praeter alia, hiſtoriae Polonae monumenta vetera: Legationes ‡ à *Ludovico* Rege Hungarię et Bohemię, ad *Sigismundum* Polonię Regem, patruum et tutorem ſuum: per *Stephanum Brodericum* Prępoſitum Quinqueeccleſienſem et ſecretarium Regium, annis MDXVII — MDXXI: inerant.

† Cui, Societate IESV extincta, contigerit: ſumus adhuc neſcii.

‡ Viſae et perlectae à Kiovienſi Praeſule, Comite ZALVSCIO, menſe Maio anni MDCCLXXIII. Ab eoque commemoratae, in CODICVM MANVSCRIPTORVM: quos in Bibliothecis alienis deprehendit: INDICE ALTERO, p. 3. b.

Superſunt Varſaviae, in ZALVSCIANA Bibliotheca publica:

I.) STEPHANI BRODERICI, Praepoſiti Quinqueeccleſienſis, Hungariaeque Regis LVDOVICI Oratoris Romae agentis: ad SIGISMVNDVM Regem Poloniae, Epiſtolae. Datae ex Vrbe MDXXIII. Inſertae SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo VI. p. 175. b. — 177. a. 246. a. — 247. b. 282. b. — 284. a.

II.) STEPHANI BRODERICI, Praep. Quinqueeccleſienſ. ad PETRVM TOMICIVM, Epiſcopum Cracovienſem Regnique Poloniae Procancellarium, Epiſtola. Data Budae XXVIII Ianuar. MDXXVI.

 Exſtat,

Exſtat, in SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo VIII. p. 20. a. ſq.

— SIGISMVNDI Regis Poloniae, ad STEPHANVM BRODERICVM Cancellarium Hungariae, Epiſtola. Data Varſaviae XXIX Aug. MDXXVI. ACTIONVM REGIARVM Tomo eidem inſerta. p. 183. b.

— STEPHANI BRODERICI Cancellarii Hungariae: ad PETRVM TOMICIVM Epiſcopum Cracovienſem et Procancellarium Poloniae, ANDREAMque CRICIVM Premiſlienſem Antiſtitem, Epiſtola. Statim poſt praelium Mohacenſe ſcripta: ſine diei indicio. Exſtat, eodem in Volumine, p. 187. b.

— PETRI TOMICII Epiſcopi Cracovienſis et Regni Poloniae Procancellarii, ad STEPHANVM BRODERICVM Regni Hungariae Cancellarium, Reſponſio. Ibidem, p. 188. a.

— STEPHANI BRODERICI Cancellarii Hungariae, ad ANDREAM CRICIVM Epiſcopum Premiſlienſem, Epiſtola. Data ex Poſonio II. Octob. MDXXVI. Reperitur ibidem. p. 192. b.

— ANDREÆ CRICII, Premiſlienſis Epiſcopi, Poloniaeque Regis SIGISMVNDI, apud Ordines Hungariae, Legationis principis: ad STEPHANVM BRODERICVM, Epiſcopum Sirmienſem, Epiſtola lectu ſanè quam digna. E Strigonio Poſonium miſſa IV. Decemb. MDXXVI. Volumini eidem inſerta, p. 241. a. — 242. b.

III.) DE CONFLICTV HVNGARORVM CVM TVRCIS AD MOHACZ: in quo Rex eorum LVDOVICVS SECVNDVS cum univerſo exercitu interiit: VERISSIMA HISTORIA STEPHANI BRODERICI EPISCOPI SIRMIENSIS. SIGISMVNDO

DO PRIMO, Regi Polonorum, ab auctore ipſo miſſa. Ex eiusque autographo, in SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomum VIII. p. 199. a. — 221. b. translata: in lucem autem, omnium accuratiſſimè à MATHIA PYRSERIO Sileſio edita. CRACOVIÆ apud HIERONYMVM VIETOREM. Die XVIII Menſis Aprilis. Anno Domini MDXXVII. 4. E codice deinceps haud bonae notae, à IOANNE SAMBVCO Hungaro, RERVM HVNGARICARVM APPENDICI: quam ANTONII BONFINII hiſtoriae Hungariae addidit: ſubiecta. Indeque, SIMONIS SCHARDII, SCRIPT. RER. GERM. Tomo II. p. 218 — 229, immiſta. Ac denique, à IOANNE CASPARO KHUNIO, unà cum proprio Commentario ſuo, ARGENTORATI, typis et ſumtibus IOANNIS FRIDERICI SPOOR, Anno MDCLXXXVIII, forma 8, in medium producta.

Editio Cracovienſis, è BRODERICI autographo deſcripta, habet BRODERICI ipſius Praefationem: ANDREÆque CRICII Plocenſis iam Epiſcopi, Epitaphium LVDOVICI Hungariae et Bohemiae Regis, Elegis concinnatum. Quae in Editionibus reliquis deſiderantur.

IV.) PVGNA CLADESQVE HVNGARORVM: in qua Rex eorum LVDOVICVS, contra SOLIMANVM Turcarum Imperatorem dimicans, cum exercitu ſuorum interiit ad Mohacz, die Decollationis Sancti IOANNIS BAPTISTAE: MDXXVI. STEPHANO BRODERICO, EPISCOPO SIRMIENSI, AVTORE. E codice integro et bonae notae, in miſcellaneum Volumen ſelectiſſimum: quod ordine eſt CCXXV: p. 513 — 541, translata.

V.) PETRI TOMICII Cracovienſis Epiſcopi Regnique Poloniae Procancellarii, ad STEPHANVM BRODERICVM Epiſcopum Sirmienſem, Epiſtola anni MDXXVII. SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo IX, p. 64. a. inſerta.

— STEPHANI BRODERICI Epiſcopi Sirmienſis Regnique Hungariae Cancellarii, Poſonii tunc penes MARIAM Reginam viduam exiſtentis, Epiſtola: ad ANDREAM CRICIVM Plocenſem iam Epiſcopum, IOANNEMque Comitem TARNOVIVM Caſtellanum Biecenſem, SIGISMVNDI Poloniae Regis apud Ordines Hungariae Oratores, anno eodem ſcripta. Inque ACTIONVM REGIARVM Tomum eundem, p. 64. a. ſq. illata.

— PETRI TOMICII Epiſcopi Cracovienſis atque Procancellarii Regni Poloniae, ad STEPHANVM BRODERICVM Epiſcopum Sirmienſem, Epiſtola altera eiusdem anni. Ibidem p. 65. a. ſq.

— STEPHANVS BRODERICVS Epiſcopus Sirmienſis, PETRO TOMICIO Epiſcopo Cracovienſi Regnique Poloniae Procancellario. Ex Buda III Aprilis MDXXVII. Eodem in Volumine, p. 66. a.

— STEPHANVS BRODERICVS Epiſcopus Sirmienſis, ANDREÆ CRICIO Epiſcopo Plocenſi. Ex Buda XII Aprilis MDXXVII. Ibidem p. 66. b. ſq.

— PETRVS TOMICIVS Epiſcopus Cracovienſis atque Regni Poloniae Procancellarius, STEPHANO BRODERICO Epiſcopo Sirmienſi. MDXXVII. In Volumine ſaepius memorato, p. 67. b.

— PETRVS TOMICIVS Epiſcopus Cracovienſis, STEPHANO BRODERICO Epiſcopo Sirmienſi. Sub anno MDXXVII. Ibidem p. 90. b.

VI.) STEPHANI BRODERICI Epiſcopi Sirmienſis: ad PETRVM TOMICIVM Epiſcopum Cracovienſem Procancellarium, CHRISTOPHORVMque SZYDLOVIECIVM Caſtellanum Cracovienſem Cancellarium Regni Poloniae, Epiſtola. Data

Data Budae XXIX Septembris MDXXIX. Inserta SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XI. p. 147. b. ſq.

— STEPHANI BRODERICI Epiſcopi Sirmienſis: ad PETRVM TOMICIVM Epiſcopum Cracovienſem, CHRISTOPHORVMque SZYDLOVIECIVM Caſtellanum Cracovienſem, Cancellarios Regni Poloniae, Epiſtola altera. Ex Buda XII Octobris MDXXIX. Eodem in Volumine, p. 157. b. ſq.

— PETRVS TOMICIVS Epiſcopus Cracovienſis Regni Poloniae Procancellarius, STEPHANO BRODERICO Epiſcopo Sirmienſi. E Cracovia ultima Octobris MDXXIX. Ibidem p. 158. b. ſq.

VII.) STEPHANVS BRODERICVS Epiſcopus Sirmienſis, PETRO TOMICIO Epiſcopo Cracovienſi atque CHRISTOPHORO SZYDLOVIECIO Cracovienſi Caſtellano, Cancellariis Regni Poloniae. Venetiis ultima Ianuarii MDXXX. In SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XII. p. 74. a. ſq.

VIII.) PETRVS TOMICIVS Epiſcopus Cracovienſis Procancellarius, STEPHANO BRODERICO Epiſcopo Sirmienſi. Ex Radlow: menſe Auguſto anni MDXXXI. In SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XIII. p. 299 — 301.

— STEPHANVS BRODERICVS Epiſcopus Sirmienſis, PETRO TOMICIO Epiſcopo Cracovienſi Regni Poloniae Procancellario. E Coenobio Eremitarum, die VIII Octobris MDXXXI. Ibidem p. 312, ſq.

IX.) PETRI TOMICII, Cracovienſis Epiſcopi, Regnique Poloniae Procancellarii: ad STE-

PHANVM BRODERICVM, Episcopum Sirmiensem, Epistola. Data Cracoviae, die x Aprilis, anno Domini MDXXXII. Inserta Volumini miscellaneo: existenti sub Numero CCXXVI: p. 72. b. sq.

— STEPHANI BRODERICI Sirmiensis Episcopi, ad PETRVM TOMICIVM Episcopum Cracoviensem Procancellarium, Responsio. Ex Lippa, IX Maji, anno Domini MDXXXII. Exstat, eodem in Volumine, p. 88. b. 89. b.

— PETRI TOMICII, Cracoviensis Episcopi, Regnique Poloniae Procancellarii: ad STEPHANVM BRODERICVM, Episcopum Sirmiensem, Epistola altera. Scripta Cracoviae, die Octobris, anno Domini MDXXXII. Exstat ibidem p. 116. b. — 117. b.

x.) STEPHANVS BRODERICVS Episcopus Sirmiensis, PETRO TOMICIO Cracoviensi Episcopo atque Regni Poloniae Procancellario. E Varadino, nona Octobris, anno Domini MDXXXIV. In SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XV. p. 290. b. sq.

— PETRVS TOMICIVS Episcopus Cracoviensis Procancellarius, STEPHANO BRODERICO Episcopo Sirmiensi. E Cracovia, quinta Octobris, MDXXXIV. In Volumine memorato, p. 299. b. sq.

— STEPHANVS BRODERICVS Episcopus Sirmiensis, PETRO TOMICIO Episcopo Cracoviensi et Regni Poloniae Procancellario. Ex Buda, XII Novembris, anno Domini MDXXXIV. Ibidem p. 310. a. — 311. a.

XI.) PETRI TOMICII, Episcopi Cracoviensis atque Procancellarii Regni Poloniae: ad STEPHA-

PHANVM BRODERICVM, Epiſcopum Sirmienſem, Epiſtola poſtrema. Data Cracoviae III Septemb. MDXXXV. Exſtat, in SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo XVI. p. 248. b. ſq.

XIX.

MARTINVS BRONIOVIVS Eques Polonus, PETRO MISCOVIO Antiſtite Cracovienſi, et NICOLAO MIELECIO Podoliae Palatino atque copiarum Polonicarum Praefecto generali, IOANNEque ZAMOSCIO Regni Cancellario ſupremo, uſus eſt Maecenatibus. Quorum commendatione, à STEPHANO BATHOREO Polonorum Rege, in numerum Secretariorum ſuorum, atque familiarium, eſt * receptus.

* Adoleſcentiae ſuae initia egiſſe in aula SIGISMVNDI AVGVSTI Regis, ſatis conſtat ex ea Epiſtola, qua STEPHANO BATHOREO, TARTARIÆ DESCRIPTIONEM conſecravit.

Isque BRONIOVIVS, Chriſtianae Salutis anno MDLXXVIII, bis à Rege, atque Regni Ordinibus, Legatus ad MAHOMETEM CHEREIVM, Tauricanorum Tartarorum Principem, miſſus fuit. Quo in officio, Cancellario Regni ZAMOSCIO monitore et auctore, Tauricae peninſulae ſitum ac naturam: Gentisque Tartaricae, quae eam regionem colit, mores ac leges, pa-

cisque et belli ſtudia: ac denique vetuſtatem eius, atque viciſſitudines, cura maxima perquiſivit, et litteris memoriaeque mandavit.

Opus quidem illud STEPHANO BATHOREO, Regi ſuo, è Taſſarlagano pago Tartarico, ipſis Kalendis anni MDLXXIX, miſit. Quod, annis ſedecim interpoſitis, ad Typographum Colonienſem eruditiſſimum, ARNOLDVM MYLIVM, devenit. A quo, cum huiusmodi inſcriptione, foras datum eſt: MARTINI BRONIOVII DE BIEZDZFEDEA, BIS IN TARTARIAM NOMINE STEPHANI PRIMI POLONIÆ REGIS LEGATI, TARTARIÆ DESCRIPTIO **, ANTEHAC IN LVCEM NVNQVAM EDITA, CVM TABVLA GEOGRAPHICA EIVSDEM CHERSONESVS TAVRICÆ. Item TRANSSYLVANIÆ ac MOLDAVIÆ, aliarumque vicinarum Regionum ſuccincta Deſcriptio, GEORGII A REICHERSDORFF Transſylvani, cum Tabulis Geographicis tam Moldaviae, quam Transſylvaniae. Praeterea, GEORGII WERNERI, DE ADMIRANDIS HVNGARIÆ AQVIS HYPOMNEMATION, addita Tabella Lacus mirabilis ad Cirknitz. COLONIÆ AGRIPPINÆ, in Officina BIRCKMANNICA, ſumtibus ARNOLDI MYLII, anno CIↃ. IↃ. XCV. Cum gratia et privilegio S. Caeſareae Maieſtatis. *folii magnitudine.*

** Fuit

** Fuit deinceps MARTINI BRONIOVII de Biezdzfedea, ad Tartarum Legati, Tartaria: STATVI RVSSIÆ SEV MOSCOVIÆ ITEMQVE TARTARIÆ, ex Officina ELZEVIRIANA edito, p. 243 — 310 inſerta. Fuitque aetate noſtra, inter SCRIPTORES RERVM HVNGARICARVM praecipuos, Tomo I. p. 811 — 841, ſecundum Exemplar Colonienſe, repetita.

Prodiit patrio ſermone ***, auctoris ignoti et admodum impoliti: Relatio de Victoria inſigni, die VI menſis Octobris, Anno MDCXX, per STANISLAVM ZOLKIEWSKI, Regni exercituum Imperatorem, in Valachia de Tartaris reportata. Cui acceſſit: Tartarorum ordo expeditionis bellicae, è MARTINI BRONIOVII TARTARIÆ DESCRIPTIONE excerptus: perperam à nonnullis, pro libro peculiari, habitus.

*** POGROM TATAROW &c. Sine mentione loci ac typographi, forma 4.

BRONIOVIVS ipſe inter amicos maximè coluit REINHOLDVM HEIDENSTEINIVM, Regiarum epiſtolarum ſcriptorem, hiſtoricumque ſua aetate florentiſſimum. Qui, in operibus ſuis, benevolentiam ſuam in BRONIOVIVM illum, haud obſcurè eſt teſtatus. Errorum plena ac referta ſunt, quae SIMON STAROVOLSCIVS, in ELOGIIS ET VITIS ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Edit. Venet. p. III, ſq. de BRONIOVIO noſtro commemoravit.

XX.

GVLIELMVS BRVSSIVS Scotus, Martis aequè, ac Minervae alumnus: fortunae ventis diverſiſſimis, in Germania atque Italia, Hungariaque, exagitatus: ad Polonos contendit. Quorum comi ac iucunda hoſpitalitate uſus eſt ferè triennium. Eo temporis ſpatio, haec ab ipſo ſunt conſcripta, atque in lucem edita:

I.) AD PRINCIPES POPVLVMQVE CHRISTIANVM, DE BELLO ADVERSVS TVRCOS GERENDO, non diminutis publicis vectigalibus, neque expectata diſcordantium Principum concordia, GVLIELMI BRVSSII SCOTI CONSILIVM: Sereniſſimo Principi FERDINANDO *, CAROLI Filio, Archiduci Auſtriae, Duci Burgundiae, Carinthiae, Styriae, Croatiae Etc. perpetuae obſervantiae ergò dicatum. CRACOVIÆ, in Officina LAZARI, Anno Domini MDXCV. 4.

* Qui BRVSSIVM, tranſeuntem in Hungariam, benignè excepit.

II.) EPISTOLA † GVLIELMI BRVSSII SCOTI. Ad illuſtrem D. IOANNEM GOSTOMIVM à Lezenica, Illuſtriſſimi Domini Palatini Poſnanienſis Filium, Capitaneum Valſenſem, &c. Qua breviter refutatur Reſponſum, oppoſitum ad ſumma Conſilii de bello adverſus Turcos gerendo capita: quod Supplementi nomine circumfertur. GORLICII, Anno Domini MDXCVI. 4.

† Data Thorunii XII. Kal. Febr.

III.) GV-

III.) GVLIELMI BRVSSII SCOTI DE TARTARIS DIARIVM. Ad illuſtrem GEORGIVM TALBOTTVM Anglum, Sereniſſimi et Optimi Principis GVLIELMI, Comitis Palatini Rheni, utriusque Bavariae Ducis &c. familiarem. FRANCOFVRTI, apud Haeredes ANDREÆ WECHELI, CLAVDIVM MARNIVM et IOANNEM AVBRIVM, MDXCVIII. Fol.

Cum, anno CHRISTI MDXCVII, BRVSSIVS in Roxolania, cum IOANNE ZAMOSCIO, ſupremo tunc Poloniae Cancellario et belli Duce, eſſet: Legatus ex Tartaria, à CASGHEREO Tauricanorum, ſive Perecopenſium Tartarorum Imperatore, ANTONIVS SPINOLA, illuſtri SPINOLARVM Genuenſium familia oriundus, advenit. In cuius amicitiam ac conſuetudinem ſeſe BRVSSIVS ita inſinuavit, ut ex familiari ipſius ſermone, iſtud DE TARTARIS DIARIVM componeret.

BIBLIOTHECÆ BRITANNICÆ auctor litteratiſſimus ac diligentiſſimus, THOMAS TANNERVS, Epiſcopus Aſaphenſis, p. 132, BRVSSII huius in Poloniam adventus: ſcriptorumque, ab ipſo, in Polonia concinnatorum: minùs recte meminit.

XXI.

IOANNES MICHAEL BRVTVS Venetus, ſcribendi genere ſtudioque veritatis, aevo ſuo commendatiſſimus: à STEPHANO BATHOREO, Tranſylvaniae adhuc Principe, ad ſcribendam Pannoniae hiſtoriam vocatus

tus * fuit. Ab eoque, creato Polonorum Rege, in Poloniam ſecum eſt perductus **, qui res, pro Gentis Polonicae ſalute ac dignitate, excellenter fortiterque à ſe geſtas, litteris conſignaret.

* FRANCISCO FORGATIO maximè ſuaſore. Qui vehementiſſimê cupiebat, in perficiendis atque expoliendis propriis ſuis ANNALIBVS HVNGARICIS, à BRVTO illo adjuvari.

** Aſſignato ei, in Cracovienſi Arce, domicilio amoeno ac ſalubri: praebitisque vitae commodis et ornamentis optatiſſimis. Quibus, inſecutis temporibus, à PETRI MISCOVII Pontificis Cracovienſis, atque IOANNIS ZAMOSCII Cancellarii Regni et belli Ducis maximi, ANDREÆque ZBOROVII curiae Regiae Mareſchalci, et PETRI BVZINII Breſinenſis atque Dobcicenſis Praefecti, beneficentia ſingulari, cumulus ingens acceſſit.

Exſtabant adhuc ſaeculo ſuperiore, BRVTI huiusce, RERVM PANNONICARVM LIBRI XII, calamo exſcripti: à WOLFGANGO DE BETHLEN, hiſtoriae Tranſylvanae ſcriptore prudenti et gravi, ad adornandum opus ſuum aſſiduè adhibiti: crebròque ab eo in teſtimonium citati. Coepti autem, à BRVTO, POLONORVM ANNALES: STEPHANO Rege de vivis ſublato: à BRVTO *** ipſo abſconditi atque ſuppreſſi fuêre.

*** Renunciato mox, Romanorum Imperatoris, RVDOLPHI II Hiſtorico.

Superſunt quidem monumenta illa, à BRVTO, in aſpectum Polonorum prolata:

1.) AD

I.) AD PRINCIPEM AVGVSTISSIMVM, STEPHANVM BATHORI, DE REGNO A POLONIS DELATO. IO. MICHAELIS BRVTI GRATVLATIO. KALENDIS IANVARIIS cIↄ. Iↄ. LXXVI. ſine loci ac typographi indicio, forma 4 ſeorſim publicata: et deinceps BRVTI Operibus variis, Editionis Cracovienſis, p. 8, a. — 25, b. Berolinenſis autem p. 19 — 65, inſerta.

II.) AD STEPHANVM, POLONORVM REGEM MAXIMVM, SAPIENTISSIMVM, FORTISSIMVM, DE MORTE FRATRIS SVI, TRANSYLVANIÆ PRINCIPIS. IO. MICHAELIS BRVTI CONSOLATORIA EPISTOLA. CRACOVIÆ, IN OFFICINA LAZARI, ANNO DOMINI cIↄ. Iↄ. XXCI. forma 4 evulgata: inque BRVTI Operibus variis, Editionis Cracovienſis, p. 33. b. — 46. a. Berolinenſisque p. 87 — 120, recuſa.

III.) IO. MICHAELIS BRVTI PRÆFATIO, in PHILIPPI CALLIMACHI, DE REBVS GESTIS A VLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNGARORVM REGE, Editionem Cracovienſem: quam LAZARVS ANDREÆ, anno Domini MDLXXXII, forma 4 apparavit. Eſt eadem Praefatio, unà cum CALLIMACHI opere, inter RERVM HVNGARICARVM SCRIPTORES VARIOS, quos à IACOBO BONGARSIO accepimus, p. 284 — 291: interque eos, quibus IOANNES GEORGIVS SCHWANDTNERVS nos donavit, Tomo I. p. 433 — 440, repetita. Omiſſa autem eſt, in MARTINI CROMERI, Varmienſis Epiſcopi, POLONIÆ Editione Colonienſi, anni MDLXXXIX: cui opus CALLIMACHI adiectum fuit.

— PHILIPPI CALLIMACHI VITÆ BREVIS DESCRIPTIO: IOANNE MICHAELE BRVTO AVCTORE. Subſequitur BRVTI Praefatio-

fationem, in CALLIMACHI Hiſtoriam VLADISLAI Regis Polonorum atque Hungarorum, Cracovienſi in Editione. Exhibita itidem eſt, inter BONGARSII atque SCHWANDTNERI Scriptores rerum Hungaricarum, poſt Praefationem illam. Praemiſſaque, in CROMERI Poloniae Editione Colonienſi memorata, p. 628 — 630, CALLIMACHI operi. Eſt praeterea VITIS CLARISSIMORVM HISTORICORVM: quae, Ienenſi in Academia, ex Bibliotheca et recenſione CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI, anno MDCCXL, forma 8 maiori prodierunt: p. 248 — 255, ſubiuncta.

IV.) IO. MICHAELIS BRVTI, SELECTARVM EPISTOLARVM LIBRI V. †

DE HISTORIÆ LAVDIBVS, SIVE DE CERTA VIA, ET RATIONE, QVA SVNT RERVM SCRIPTORES LEGENDI, LIBER I. ‡

PRÆCEPTORVM CONIVGALIVM LIBER I.

CRACOVIÆ, TYPIS ANDREÆ PETRICOVII, ANNO DOMINI cIↃ.IↃ.XVIIC. forma 8.

† Primus liber Epiſtolas ad STEPHANVM Polonorum Regem complectitur. Reliqui eas continent, quae ad Poloniae, Hungariaeque, atque Tranſylvaniae primores: virosque alios ingenii atque eruditionis fama illuſtres: ſunt ſcriptae.

‡ Iuſſu STEPHANI Polonorum Regis confectus.

— Operum horum Editio altera, cum inſcriptione tali: IOH. MICHAELIS BRVTI OPERA VARIA SELECTA, NIMIRVM EPISTOL. LIB. V. DE HISTORIÆ LAVDIBVS, SIVE DE RATIONE LEGENDI SCRIPTORES HISTORICOS LIBER. PRÆCEPTORVM CONIVGALIVM LIBER. EPISTOLIS ET ORATIONIBVS EDITIONE CRACOVIENSI AVCTIORA. BEROLINI, ſumtibus IOH. MICH. RÜDIGERI, 1698, imprimebat VLRICVS LIEBPERTVS Elect. Typogr. 8.

v.) IO. MICHAELIS BRVTI, Sacrae Caesareae Maiestatis Historici, ad Amplissimum atque Illustrissimum Polonorum et Lituanorum Senatum, universosque Regni Ordines: de ERNESTI Archiducis Austriae, augustae maiestatis Principis, et de universae Familiae Austriacae laudibus, ORATIO.

— EIVSDEM in ORATIONEM LVCÆ CHWALKOWSKI, qua Sueci Principis petitio in comitiis Varsaviensibus de novo Rege creando commendatur, CENSVRA.

FRANCOFVRTI, apud ANDREÆ WECHELI Haeredes, CLAVDIVM MARNIVM et IOANNEM AVBRIVM MDXC. forma 4 maiori.

Est opella utraque, in BRVTI Operum variorum Editione Berolinensi, p. 893—993, iterum divulgata.

Reliqua BRVTI scripta, vitaeque memorabilia, à PETRO BAYLIO, in LEXICI HISTORICO-CRITICI, Gallico sermone compositi: Editionis Roterodamensis **** anni MDCCII: Tomo I. p. 719—721, iucundè et accuratè percensentur.

**** Quae, à BAYLIO ipso, diligentia summa correcta atque emendata fuit: à virisque litteratissimis fit maximi.

XXII.

ANNIBAL DE CAPVA, Archiepiscopus Neapolitanus, à SIXTO V Romanorum Pontifice maximo ac sapientissimo,

ad STEPHANVM BATHOREVM Polonorum Regem bellorum geſtorum gloria imperandique ſcientia inclytiſſimum, Legatus mittebatur. Cui quidem ad Germaniae fines pervenienti, nuncius triſtis, de Regis tanti fatis acerbiſſimis occurrit. Legatus tamen, mandatis novis à Pontifice ſusceptis, iter ſuum in Poloniam proſecutus eſt. Honorificèque acceptus, ac benignè auditus fuit à Reipublicae Ordinibus. Prodiit tunc: ORATIO ANNIBALIS DE CAPVA, ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI, SANCTISSIMI D. SIXTI V, SVMMI PONTIFICIS, NVNCII. Habita ad Illuſtriſſimum Senatum Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lituaniae, pro nova Regis electione. SVPERIORVM PERMISSV. *ROMÆ*, apud TITVM et PAVLVM DIANOS fratres. MDLXXXVII. forma 4 maiori: eloquentiae ac prudentiae nobile ſpecimen.

XXIII.

GREGORIVS CHODKIEVICIVS, Vilnenſis Caſtellanus atque ſupremus exercituum in Magno Ducatu Lituaniae Praefectus: militari diſciplina celeberrimus: anno poſt CHRISTVM natum MDLXXVIII *, finem vitae fato implevit.

* Sic

* Sic opinatur ALBERTVS WIIVK KOIALOWICZ Lituanicarum rerum auctor florentiſſimus. KOIALOVICIVS ille, de familia CHODKIEVICIORVM, commentarium ſingularem: prout de RADIVILIORVM domo: diligentiſſimè et laborioſiſſimè exaraverat. Quem in bello Moſcico MDCLV, unà cum aliis operibus ſuis nondum publicatis, deperdidit. E quibus, quidquid FASTORVM CHODKIEVICIANORVM ipſi ſuperſuit, in NOMENCLATORE FAMILIARVM LITVANICARVM MSto, p. 34 — 46, civium oculis ſubiecit.

Exſtant: ARTICVLI CONSTITVTIONVM BELLICARVM MAGNI DVCATVS LITVANIÆ, in Comitiis Generalibus conſtituti: à Supremo et Generali copiarum Imperatore fortiſſimo, et Heroe perpetua memoria digniſſimo, Illuſtri Domino GREGORIO CHODKIEVICIO, Caſtellano Vilnenſi, confirmati: ab ALEXANDRO autem GVAGNINO, Equite Aurato, peditumque Praefecto, in SARMATIÆ EVROPEÆ DESCRIPTIONE, p. 62, b. — 64, a. inque RERVM POLONICARVM Tomo II. p. 99 — 105, promulgati: exinde à IOANNE PISTORIO, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomum I. p. 49 — 51, translati: poſteaque, in REPVBLICA SIVE STATV REGNI POLONIÆ ATQVE MAGNI DVCATVS LITVANIÆ, primae Editionis ELZEVIRIANÆ, p. 289 — 297, ſecundae autem p. 309 — 318, ac tertiae, p. 287 — 295, luci iterum expoſiti.

Hic CHODKIEVICIVS, praeter belli artes, politioris quoque humanitatis ſtudia coluit: viroſque, ingenio ac doctri-

na liberali praeſtantes, impenſè amavit. Domeſticae autem vetuſtatis in primis ſtudioſus fuit. Inveſtigatisque CHRONICORVM voluminibus manu ſcriptis: quae in Lituaniae arcibus, quibus Gubernator ipſe erat praepoſitus, latebant: Lituanae hiſtoriae parentem, MATHIAM STRYICOVIVM, magnopere adiuvit.

XXIV.

IOANNES HIERONYMVS CHODKIEVICIVS, Magni Lituaniae Ducatus Mareſchalcus, Livoniaeque Ducatus Adminiſtrator: Lituano hiſtorico, MATHIÆ STRYICOVIO amiciſſimus, vetuſtiſſima ipſi CHRONICA, Theotiſco ſermone conſcripta, Runeburgenſi in arce **, à ſe inventa, ſuppeditavit. Mortuus CHODKIEVICIVS ille eſt, pridie Nonas Auguſti, MDLXXIX: cum, anno ante, Caſtellanatum Vilnenſem obtinuiſſet.

** Quae olim in ditione Rigenſis Archiepiſcopi fuit.

XXV.

ALEXANDER CHODKIEVICIVS, cum in Academia Ingolſtadienſi ſapientiae ſtudium gnaviter tractaret, philoſophicam diſputationem ſuam: DE COMMVNIBVS

NIBVS NATVRALIVM RERVM PRINCIPIIS: GVLIELMO Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariae Duci, inſcriptam. *INGOLSTADII*, EX OFFICINA TYPOGRAPHICA WOLFGANGI EDERI, ANNO DOMINI MDXXCIIX. forma 4 emiſit. Is CHODKIEVICIVS aetate matura, Trocenſis Palatini dignitatem eſt conſecutus. Anno CHRISTI MDCXXVI obiit. Bibliothecam ſuam, hiſtoriarum ſcriptoribus, aliisque auctoribus profanis inſtructiſſimam, iuſſit in excitatum à ſe, Sclovenſi † in civitate, coenobium Ordinis Praedicatorum ampliſſimum inferri ‡.

† CHODKIEVICIORVM Comitum domicilio tunc temporis praecipuo.

‡ Quod SIMON OKOLSCIVS, in RVSSIA FLORIDA, SIVE HISTORIA PROVINCIÆ RVSSIÆ ORDINIS PRÆDICATORVM, Editionis prioris, p. 129, annotavit.

XXVI.

CHRISTOPHORVS CHODKIEVICIVS iuvenis adhuc, Societati IESV deditiſſimus: DE BEATO STANISLAO KOSTKA E SOCIETATE IESV, ad Nobilitatem Polonam, ORATIONEM PROTREPTICAM, LVBLINI in Templo SOCIETATIS IESV à ſe dictam: REGIQVE POLONIARVM ET SVECIÆ, SERENISSIMO SIGISMVNDO III dedicatam: unà cum Auctorum variorum Carminibus, Latinè ac Polonicè. *CRACOVIÆ*,

VIÆ, E TYPOGRAPHEO BASILII SKALSKI, ANNO DOMINI MDCVI. forma 4 in publicum prodire iuſſit. In Republica CHODKIEVICIVS ille, Lituaniae primùm Vexillifer, et deinceps Magni eiusdem Ducatus, Stabuli Praefectus fuit. Trocenſis porrò Caſtellanus factus: nec multò poſt Vilnenſis Caſtellani honore ornatus: Vilnenſisque ad extremum Palatinus renunciatus: anno MDCL, de vita deceſſit. Senator ipſe Lituanorum primarius: Vilnenſis Academiae, in tuendis iuribus ſuis, bonorumque poſſeſſionibus conſervandis atque augendis, adiutor ſummus fuit: nobilesque iuvenes, bonarum litterarum, legumque patriarum ſtudioſos, ſubſidiis luculentis ſuſtentavit.

XXVII.

IOANNES CAROLVS * CHODKIEVICIVS, Vilnenſium Palatinus, Magnique Ducatus Lituaniae et ad bellum Turcicum Regni Poloniae exercituum Imperator, idemque Ducatus Livoniae Gubernator ſupremus, victoriis clariſſimus **: Chotimenſi in expeditione, VIII Kalendas Octobreis anni MDCXXI, epilepſia oppreſſus et exſtinctus: Rerum ſuarum, cum Sueco, Moſco et Turca, geſtarum codicillos proprios reliquiſſe traditur, ab aetatis ſuae ſcriptore celebri,

SIMO-

SIMONE STAROVOLSCIO, in ELOGIIS ET VITIS ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Editionis Venetae, p. 95, ***.

* IOANNIS HIERONYMI, Caſtellani Vilnenſis atque Mareſchalci Magni Ducatus Lituauiae, filius: ALEXANDRI, Trocenſis Palatini, frater germanus.

** Lyricisque diviniſſimis, ab HORATIO Polonorum, MATHIA CASIMIRO SARBIEVIO, celebratus.

*** In nota illa, quam BERNARDI VAPOVII, annalium Polonicorum ſcriptoris, Elogio attexuit. E qua, CHODKIEVICIANI codicilli, à Comite ZALVSCIO, in PROGRAMMATE LITTERARIO ANNI MDCCXXXII, Polonicè ſcripto, p. 22: Latinè autem verſo, p. 34: atque à Principe IABLONOVIO, in MVSEO POLONO, p. 38, citantur.

A STANISLAO autem KOBIERZICIO, illuſtri hiſtorico, monumentorumque illius aevi, ante alios, perito: praeclara omnia CHODKIEVICII facta, HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPIS ELECTIQVE MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS ſedulò innectente: hi codicilli non commemorantur. Nec à IACOBO SOBIESCIO, Commiſſarii officio, in expeditione Chotimenſi, Regis atque Reipublicae iuſſu fungente, huius expeditionis ſcriptore principe: de CHODKIEVICII vitae parte memorabiliori, deque illius virtutibus ac moribus, ſtudiisque atque dictis imperatoriis, omnium fuſiſſimè atque accuratiſſimè exponente: nominantur. Neque eorum, à KOIALOVICIO ſuprà laudato: actorum et ſe-

cretorum familiae CHODKIEVICIANÆ benè conſcio: mentio aliqua movetur.

Orationes quidem illae: quibus CHODKIEVICIVS, belli dux, milites ſuos, in expeditione Chotimenſi, ad pugnandum eſt hortatus: à SOBIESCIO heroe, COMMENTARIORVM CHOTIMENSIS BELLI Libro II. p. 61 — 64. ac p. 125 ſq. atque p. 127 ſq. à IOANNEque INNOCENTIO PETRICIO, hiſtoriarum in inclytiſſima Academia Cracovienſi ſcriptore publico, HISTORIÆ RERVM IN POLONIA, AC PRÆCIPVE BELLI, CVM OSMANNO TVRCARVM IMPERATORE, GESTI FINITIQVE, ANNIS MDCXX ET MDCXXI, loco **** ſuo ſunt inſertae.

**** Paginae illae, quibus PETRICIVS militares CHODKIEVICII orationes eſt complexus, indicari à me nequeunt: ſiquidem PETRICII opus ipſum, viro alicui illuſtri ſit commodatum, qui id nondum reddidit.

XXVIII.

LVCAS CHWALKOWSKI, Eques Polonus è Palatinatu Poſnanienſi, et proſa oratione, et carmine excelluit. Prodiit: CONVIVIVM MVSARVM ET CHARITVM, in Nuptiis Generoſi Domini IOANNIS LESZCZINSKI Radeiovienſis Praefecti, et Ornatiſſimae Dominae SOPHIÆ OPALENIÆ, Illuſtris ac Magnifici Domini ANDREÆ à Bnin OPALENSKI,

Supremi Regni Poloniae Marefchalci et Maioris Poloniae Generalis &c. Filiae. LVCA CHWALKOWIO AVCTORE. *POSNANIÆ*, ex Officina IOANNIS WOLRABI MDLXXX. 4. Editaque eft: DELIBERATIO † DE PRINCIPE SVECIÆ, REGNO POLONIÆ PRÆFICIENDO, LVCÆ CHWALKOWSKI. Praecefferunt eiusdem in obitum Sereniffimi Regis STEPHANI Carmina. *POSNANIÆ*, ex Officina IOANNIS WOLRABI MDLXXXVII. pari forma. CHWALKOVIVM hunc, Catholicae religionis fuiffe cultorem et defenforem, propugnatoremque acerrimum: memorata ipfius fcripta teftantur.

† Quam hiftoricus atque orator, illa tempeftate maximè celebris, IOANNES MICHAEL BRVTVS, CENSVRA acri terfaque: fub Numero XXI, à nobis indicata: eft infecutus.

XXIX.

NICOLAVS CHWALKOWSKI, patrii iuris publici, patriarumque hiftoriarum fcriptor, Wfchowae, Maioris Poloniae civitate, quae à Silefiis vicinis Frauftadium appellatur, communem lucem * adfpexit. Eorumque in numero fuit, qui ab Auguftana confeffione non variata volunt cognominari.

* Patre natus NICOLAO CHWALKOVIO, Proconfule Wfchowenfi. Eques Bohemus haud rectè dictus, in LEXICI HISTORICI VNIVERSALIS BVDDEANI, Germanicè fcripti, Tomo I. p. 999. a: inque LEXICI BIOGRAPHICI

PHICI LITTERARII IOECHERIANI, lingua eadem compositi, Tomo I. p. 1905.

Jucundiores litteras Wschowensi in Schola didicit. Conterraneumque suum, CHRISTIANVM GRYPHIVM, praeclarum illum litteratorem, condiscipulum tunc, amantem sui maximè, habuit. Disciplinarum severiorum studia persecutus est in Academia Francofordiana ad Viadrum.

Redux inde, à IACOBO Curonum Duce, Consiliarius est assumtus: dignusque ab eo, atque aptus iudicatus, quem, curandis suis in aula Regia Polona negotiis, Residentis titulo decoratum, praeponeret. Quo in officio, CHWALKOVIVS ille, Regi Polonorum IOANNI III percarus et persamiliaris exstitit. Cuius potissima cura, in comitiis generalibus anni MDCLXXVI, ab Ordinibus Regni impetravit, ut nobilitatis iura, maioribus suis ingenita, ab avo autem paterno neglectu amissa, sibi atque fratribus ** suis iterùm impertirentur. Annis autem meritisque gravior, Srundensem Praefecturam in Curonia, à FRIDERICO CASIMIRO Duce, obtinuit.

** IOANNI maiori natu, Wschowensis castri, ut vocant, Regenti: alterique IOANNI GEORGIO, creato post recuperatam nobilitatem cubiculi Regii Magistro, atque Vexillifero Neogrodensi in Ducatu Severiae: ac SAMVELI natu minimo, Brandeburgicae tum in Polonia Legationis

Secre-

Secretario, ad ministeria deinde splendidissima in aula Brandeburgica promoto.

Famam, gratiamque apud Gentem suam, meruit iis scriptis:

I.) REGNI POLONIÆ IVS PVBLICVM, ex Statutis ac Constitutionibus depromtum à NICOLAO CHWALKOWSKI. *REGIOMONTI*, Typis FRIDERICI REVSNERI, Anno 1676. forma 12.

— Operis eiusdem Editio multò locupletior, rariorque, hunc in modum inscripta: REGNI POLONIÆ IVS PVBLICVM à NICOLAO de Chwalkowo CHWALKOWSKI Equ. Pol. Illustrissimi et Celsissimi in Livonia Curlandiae et Semigalliae Ducis Consiliario et ad Aulam Regiam Polonam Residente, per alteram Editionem auctius exhibitum. *REGIOMONTI* Typis REVSNERIANIS, Anno 1684. forma 4 maiori. Editioni huic accessit INDEX SCRIPTORVM DE REBVS POLONICIS.

Subsecuta illam Editionem est: EXERCITATIO ad Generosi Domini NICOLAI CHWALKOVII IVS PVBLICVM REGNI POLONIÆ. In qua de multis Rebus ad Rempubl. Polonam pertinentibus candidè et modestè disputatur. MDCLXXXV. Loco ac typographo dissimulato. forma pari. CHRISTOPHORO HARTKNOCHIO auctore: qui, propriis suis, DE REPVBLICA POLONICA LIBRIS DVOBVS, eruditissimis atque elaboratissimis, in medium allatis, CHWALKOVII opus longè superavit.

II.) SINGVLARIA QVÆDAM POLONICA, per NICOLAVM DE CHWALKOWO CHWALKOWSKI, Illustrissimi et Celsissimi in Livonia Curlandiae et Semigalliae Ducis Consiliarium et ad Aulam Regiam Polonam Residentem. *LEOPOLI*,

LI, in Officina ALBERTI MIELCZEWSKI S. R. M. Typogr. Anno MDCLXXXVI. forma 12.

— Varſavienſis Editio, eiusdem anni, forma 8: indicata, in CATALOGI LIBRORVM OFFICINÆ WAESBERGIANÆ, quae Gedani prae ceteris floruit. CONTINVATIONE IX, p. 120.

— Editio tertia, omnium elegantiſſima, rariſſimèque obvia, SCHLICHTINGSHEIMII, Typis IOANNIS CHRISTOPHORI WILDII, Anno MDCLXXXXIII, forma 4, exſcripta.

— Quarta Editio, *VARSAVIÆ*, in Collegio SCHOLARVM PIARVM, Typis S. R. M. Anno MDCXCVI. forma 8, excuſa.

III.) PRINCIPVM OCCVPATIONES SINGVLARES: OMINA: VOTA: FATA. Per NICOLAVM DE CHWALKOWO CHWALKOWSKI, Celſiſſimi in Livonia Curlandiae et Semigalliae Ducis Conſiliarium et ad Aulam Regiam Polonam Reſidentem, connotata. *VARSAVIÆ*, Typis CAROLI FERDINANDI SCHREIBER, S. R. M. Typogr. 1690. forma 12.

IV.) EFFATA REGVM POLONIÆ VSQVE AD IOANNEM CASIMIRVM, à NICOLAO DE CHWALKOWO CHWALKOWSKI, Celſiſſimi in Livonia Curlandiae et Semigalliae Ducis Capitaneo Schrundenſi, et ad Aulam Regiam Polonam Reſidente, collecta. *VARSAVIÆ*, Typis SCHOLARVM PIARVM Anno MDCXCIV. forma 4 maiori.

CHWALKOVIVS ille, anni MDCXCVI principio, à Duce Curoniae FRIDERICO CASIMIRO, ſui apud IOANNEM III Polo-

Poloniae Regem Ablegati honore auctus fuit. Eo iam diu demortuo: Posnaniensis Bibliopolae, IOANNIS TOBIÆ KELLERI, sumtu: idiomate Polonico, Chronicon † rerum Prutenicarum, Livonicarumque, atque Curonicarum, diversis auctoribus anonymis consutum, anno salutis CHRISTIANÆ MDCCXII, forma 4, in lucem exiit. Cui CHWALKOVII nomen, Polonis memoratissimum, lucri faciendi gratia inscriptum fuit.

† PAMIĘTNIK ALBO KRONIKA PRVSKA &c.

E fratribus CHWALKOVII, IOANNES GEORGIVS, quum adolescentia ineunte Francofordiae studiorum causa ageret, ingenii specimen dedit. Cuius inscriptio huiusmodi est: Ante omnia IESVS! DISCVRSVS POLITICVS DE CONSILIIS ANTE IN ET POST BELLVM. AVTORE IOANNE GEORGIO CHWALKOWSKI, Fraustad. Pol. LL. Stud. *FRANCOFVRTI* cis Viadrum, Typis IOANNIS ERNESTI, Acad. Typogr. Anno 1667. forma 4.

POLONI MEI, patriae litteraturae Amatores! Cum haec perscripsissem: sinister oculus meus, humoris crystallini suffusione subita, visu omni * destituitur: dexterque vim cognoscendi characteres penitùs amittit. Divinae providentiae instinctu, Regis Nostri Optimi, Patriaeque Patris Indulgentis-

gentiſſimi, STANISLAI AVGVSTI Archiater, Aulaeque Conſiliarius, IOANNES BOECLERVS †: medicinali doctrina ac peritia uſuque, temporibus iis omnium in Polonia princeps: mox mihi ſuccurrit. Aſſuetaque in me benevolentia, et cura ſingulari, remedia quaeſitiſſima ordinat: à ſtudiis autem, unicis deliciis meis, vacare me jubet. Oculorumque conditio tàm afflicta id ipſum imperat.

* Id pridiè Idus Februarias, MDCCLXXVI, accidit.

† Eques Polonus à Rege ac Regni Ordinibus MDCCLXXIV creatus.

IANOCIANA quae ſubſequentur FRAGMENTA, ab amanuenſi meo Michaële Antonio Straehlio, non eruditione quidem, ſed probitate atque ſedulitate, conſtantiaque et patientia, in omnibus adverſitatibus miſeriisque domeſticis, annorum XX ſpatio mire mihi probato: quanto, ab ipſo, fieri ſtudio poterit: è ſchedis litterariis meis, maximèque ex annotatiunculis, Auctorum Illuſtrium operibus, olim à me adſcriptis, colligentur; donec, viſu ope Divina recuperato, opus meum ipſemet ſim continuaturus.

XXX.

DOBIESLAVS CIEKLINSKI, Nobilis Poloniae Minoris, à SIGISMVNDO III Rege iam ſene, adhibebatur ſcribendis ad Principes exteros epiſtolis Latinis. A VLADISLAO IV creabatur Czechovienſium Caſtellanus. Exſtat CIEKLINSCII, DE ELIGENDO REGE POLONIÆ NOVO, DIVINATIO: PRO INTERREGNO, QVO ELECTVS FVIT VLADISLAVS QVARTVS, ANNI MDCXXXII: graviter et eleganter ſcripta. *ROMÆ*, TYPIS HÆREDVM GVLIELMI FACCIOTTI, MDCXXXIII, forma 4, excuſa.

XXXI.

ANDREAS CIESIELSKI, Eques Polonus è Siradienſi Palatinatu: ingenio, et eloquentia, et eruditione praeſtans: novae autem religionis mirus affectator: AD EQVITES, LEGATOS AD CONVENTIONEM VARSAVIENSEM PVBLICE DESIGNATOS ET DECLARATOS: DE REGNI DEFENSIONE, ET IVSTITIÆ ADMINISTRATIONE: ORATIONEM. In qua praeterea continentur luculentiſſimae, et hac tempeſtate perneceſſariae explicationes: De Pruſſiae Ducatu: De Tartarorum Contributione: De Foederibus obſervandis: De Moneta corrupta:

rupta: De Civitatibus et earum commodis: De Homicidiis et Pyxidibus: DE INTERREGNO: DE REGIS ELECTIONE LIBERA. *CRACOVIÆ*, Typis MATHIÆ WIRZBIETÆ, S. R. M. Typographi. MDLXXII. forma 4, divulgavit.

XXXII.

MARTINVS CIESIELSKI Polonus: Orationem Gratulatoriam, ad Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. Dominum D. GEORGIVM RADIVILVM S. R. E. Cardinalem, Cracovienſem Epiſcopum, Senatorem Regni Poloniae Ampliſſimum, Ducem in Olyka et Nieswiz, &c. &c. Patronum ſtudiorum Digniſſimum. *Patavii*, apud LAVRENTIVM PASQVATVM, Typographum Almae Vniverſitatis Iuriſtarum. MDXCI. forma 4, publicavit.

ERASMVS CIOŁEK, ſive CIOLCVS, Epiſcopus Plocenſis: vide ERASMVS.

XXXIII.

FLAMINIVS CODVRVS Regienſis, Italus: Apoſtolici in Polonia Nuncii, CLAVDII Comitis RANGONI, Epiſcopi et Principis Regienſis, epiſtolarum ſcriptor: In funere Sereniſſimae ANNÆ AVSTRIACÆ, Poloniae et Sueciae Reginae: ad Sereniſſ. et Invictiſſ. SIGISMVNDVM

MVNDVM III. Poloniae Sueciaeque Regem. Orationem elegantem. Anno Domini MDXCIX, forma 4, ſine loci ac typographi indicio, emiſit.

XXXIV.

ANDREAS CROMERVS Polonus, MARTINI Hiſtorici eminentiſſimi frater germanus fuit. A quò maximè litteras elegantiores didicit. Scripſit ANDREAS Elegos cultiſſimos, CRICII atque IANICII Carminibus immiſtos. IANICII enim amicitia uſus eſt intimè. Fuitque CRICIO, Regni Primati: poëtae ipſi bono, et poëtarum egregiorum amatori, nutritorique benigno: mirificè carus atque iucundus. Mortalitate autem interceptus, V Nonas Maias anni poſt C. N. MDXXXVIII: cum aetatis ſuae annum XX vix ingreſſus eſſet. Cineribus eius, Cracoviae in Templo OMNIVM SANCTORVM reconditis, MARTINVS ipſe, Viſlicenſis tum Collegiatae Eccleſiae Canonicus, parentavit flebiliter. Isque deinceps, obtento Varmiae Pontificatu nobili ac praedivite, fratris amabilis memoriam ſepulchri inſcriptione aeternavit.

XXXV.

S. CRVCIS Coenobii Benedictini, Cracovienſis dioeceſeos: Sandomirienſi in Palatinatu, in Monte Calvo ſiti: Bibliotheca, omnium in Polonia eſt antiquiſſima. Habet illa, monumenta Polonorum ſingularia: Polonis ipſis nondum cognita. Servatque IOANNIS LONGINI, id eſt DLVGOSSI, Canonici Cracovienſis, ANNALIVM REGNI POLONIÆ Codicem: DLVGOSSI ipſius juſſu ductuque, folio maiori, litteris maiuſculis nitidiſſimè exaratum: cum eo Codice, qui è Cracovienſi Tabulario Cathedrali, in Vrbem Sanctam deportatus fuit, haud dubiè comparandum.

S. CRVCIS Coenobii eiusdem Benedictini CHRONICON, medio decimi tertii Saeculi, à Monacho anonymo, folii magnitudine conſcriptum: Eccleſiaſticae antiquitatis Polonae monumentum non contemnendum: eadem in Bibliotheca invenitur.

XXXVI.

✠S. CUNEGUNDIS * DVCISSAE CRACOUIENSIS UITA: anno MCCCCI, ab auctore ** incerto conſcripta: à nemine adhuc in lucem prolata: in ZALVSCIANA Biblio-

Bibliotheca publica ſervatur. Codex eſt membranaceus ***, impenſa STANISLAI AVGVSTI, Regis optimi atque magnanimi, bellè reparatus. Cuius principio ſic legitur: Incipit prologus in uitam FELICIS KINGE ducisse Cracouien. Sub finem: Explicit epilogus de ſancta KINGA ducissa Cracouienſi. Anno Domini M° CCCC° primo finitus: in craſtino ſancte ANNE feria quinta.

* Quae, ſuis temporibus, KINGA dicebatur: memorante IOANNE DLVGOSSO, ſub anno MCCXXXIX. DLVGOSSVS ipſe, de vita Divae CUNEGUNDIS, commentarium ampliorem reliquit. De quo, loco ſuo, dicemus.

** Quem, è priſci tegminis inſcriptione, STANISLAUM quendam, familiae Franciſcanae Theologum, Comes ZALVSCIVS, Epiſcopus Kovienſis, autumabat. Opus ipſum, nullum auctoris indicium oſtendit.

*** Forma 8 maiori. Ordine MDCCCCLXXVII.

XXXVII.

✠DERSLAUS ſacrae theologiae Magiſter, Cathedralisque Archidiaconus Cracovienſis: Orator primus, à SBIGNEO OLESNICIO Cracovienſi Epiſcopo, atque à collegio Cracovienſium Canonicorum, ad Concilium generale Baſileenſe miſſus: exiſtimatione auctoritateque apud Patres ibi congregatos tantùm valuit, ut decreto Seſſionis XXXVIII, in Maiori Eccleſia Baſilenſi, tertio Kalendas Novembris, anno à Nativitate Domini MCCCCXXXIX celebratae,

 locus

locus ipſi, inter electores futuri Romani Pontificis, fuerit aſſignatus. Refertur id, in CONCILIORUM COLLECTIONIS REGIÆ MAXIMÆ, à PHILIPPO LABBEO atque GABRIELE COSSARTIO editae, auctiùsque à IOANNE HARDUINO repetitae, TOMO VIII, p. 1279. Cracoviae in Tabulario Cathedrali adhuc ſupereſſe M. Derſlai archidiaconi Cracouien̄ epiſtolas XIII. ad reuerendissimum dominum *Sbigneum* epiſcopum. et ad uenerabile capitulum Cracouien̄ annis MCCCCXXXVI - MCCCCXL e ſacra ſynodo generali Baſilee ſcriptas. in Kiovienſis Antiſtitis, IOSEPHI ANDREÆ Comitis ZALUSCII, CODICUM MANUSCRIPTORUM, alienis in Bibliothecis à ſeipſo viſorum et perlectorum, INDICE ALTERO, p. 7, ſignificatur.

XXXVIII.

✝ IOANNES DLUGOSSUS *, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis ** Canonicus: florenteque aetate, SBIGNEI OLESNICII, S. R. E. Cardinalis et Antiſtitis Cracovienſis, adminiſter praecipuus: aevo autem iam ſenili, Liberorum CASIMIRI JAGELLONIDIS, Polonorum Regis, educator ac moderator: parens ille hiſtoriae Polonae, primusque in patria ſua litterarum meliorum *** inſtaurator, gentilicio

cio nomine ſuo Latinè reddito, LONGINUS voluit nuncupari. Uſusque ea appellatione eſt, omnium in Operum **** ſuorum inſcriptionibus: omnibusque in Epiſtolis publicis. Nec veterem aliquem ipſius Codicem invenies, qui ingenitum ei DLUGOSSI nomen prae ſe ferat.

* DLUGOSZ idiomate patrio ſcribitur: lingua autem Theotiſca DLUGOSCH pronunciatur.

** Gneſnenſem etiam Metropolitanum Canonicum factum eſſe anno MCCCCLXXII: didici ex Epiſtola, quam SANDIVOGIUS DE CZECHEL, Canonicorum Regularium Clodaviae tunc Praepoſitus, DLUGOSSI ab annis teneris omnium amiciſſimus, anno eodem ad ipſum ſcripſit; quae inter ZALUSCIANOS Codices MSStos, ſervatur. Pragenſem Archiepiſcopatum, à Regni Bohemiae Ordinibus ſibi oblatum, DLUGOSSUS ille, Regis ſui tunc in Bohemia Legatus, acceptare noluit. Fato extremo iam proximus, Leopolienſis in Roxolania Archiepiſcopus, à CASIMIRO JAGELLONIDE Rege, renunciatus fuit. Quo tamen titulo DLUGOSSUS, in relictis ſcriptis ſuis, prorſùs abſtinuit: morte priùs exſtinctus, quàm Archiepiſcopus potuerit inaugurari.

*** MARTI TULLII CICERONIS atque CAII CRISPI SALLUSTII, TITI quoque LIVII, et QUINTI CURTII RUFI, et CAII PLINI SECUNDI MAIORIS, aliorumque auctorum Latinorum Volumina praeſtantiſſima: Polonis antè non viſa: primus omnium, hicce DLUGOSSUS in Poloniam invexit.

**** Libris etiam omnibus, Cracovienſi Academiae à ſe donatis, IOANNIS LONGINI Canonici Cracovienſis nomen, manu propria ſua, adſcripſit. Legeque peculiari ſtatuit, ut Collegium Juriſperitorum, Cracoviae à ſe ipſo excitatum. Collegium LONGINIANUM nominaretur.

ANNALIUM † REGNI POLONIĘ, operis eius principalis, autographum luculenter exaratum, Romae invenitur in Bibliotheca

Vallicellana. Illuc enim à GERMANICO Marchione MALASPINA, Episcopo S. SEVERI: qui annis MDXCIII-MDXCVII, apud Regem atque Rempublicam Polonorum, Apostolica legatione fungebatur: delatum est ‡. Qui cimelium tantum non aliunde nancisci potuit, quàm è Tabulario Cathedrali Cracoviensi. In quo si rei huiusce aliquod documentum posset inveniri: domesticae historiae litterariae amatoribus quam volupe esset, de fato huius Manuscripti, patriorum monumentorum omnium memoratissimi, plenius edoceri!

† Sic inscribuntur Codices veteres, istius Operis: quo DLUGOSSUS, res Populi Poloni, à Regni Polonici primordiis, usque ad illum fermè diem, quo ipse mortalitatem explevit, secundum annorum ordinem, accuratissimè est persecutus.

‡ Commemoratum quidem ab ANNALIUM ECCLESIASTICORUM scriptore purpurato, CÆSARE BARONIO, Tomo XI, p. m. 67, sub anno 1020, iis verbis: „Hoc eodem „anno Poloniae Ecclesias, munificentia BOLESLAI „Regis locupletatas, et redditibus stabilitas, narrat „IOANNES LONGINUS Canonicus Cracoviensis, qui et DLUGOSCHUS dictus. Cuius operis au„tographum luculenter scriptum asservatur Romae in „Vallicellana Bibliotheca, dono datum à GERMANI„CO MALASPINA Episcopo S. SEVERI, Nuncio Apo„stolico in Polonia. Quod DLUGOSCHI nomine „CROMERUS citare consuevit. Sed mirum, quod: „cum auctor tàm in nuncupatoria epistola, quàm in „titulo totius operis, omisso barbaro cognomento, se „IOANNEM LONGINUM tantùm nominet: ille, „praeter auctoris sententiam, DLUGOSCHUM ap„pellet.„

Supe-

Superioribus quidem iam temporibus, DLUGOSSI ANNALIUM manuſcripti Codices antiqui: iidemque integri: in Polonia ipſa, inventu rariſſimi fuerunt. IOANNES HERBURTUS, Caſtellanus Sanocenſis: hiſtoriae patriae, ac iuris patrii, auctor ipſe illuſtris: DLUGOSSI opus integrum, veteri manu exſcriptum habuit. Filioque, elegantioribus litteris et artibus omnibus egregiè exculto, IOANNI FELICI, Vexillifero Leopolienſi, reliquit. Qui Libros Sex priores, ad annum MCCXL, in proprio typographeo ſuo: quod Dobromili condiderat: anno MDCXV, folii magnitudine †† evulgavit. Reliquos autem: morte immatura muſis patriis ereptus: publici iuris facere nequiit. Cui autem, exſtincto illo, DLUGOSSI Codex manuſcriptus ceſſerit: à litteratiſſimo ipſo Epiſcopo Kioivenſi, IOSEPHO ANDREA ZALUSCIO: inveſtigandis atque ab interitu vindicandis, hiſtoriae ac litteraturae Polonicae monumentis veterrimis, quaſi genito: modo nullo potuit explorari.

†† Idem HERBURTUS Dobromili, è typographeo ſuo, B. KADLUBKONIS CHRONICON, anno MDCXII, forma octava minori, in lucem protulit.

Heilsbergenſis Epiſcopalis Bibliotheca in Varmia, ante bella Suecica, muſis Sarmaticis pernicioſiſſima, hiſtoriae Polonae ac Pruſſicae monumentis vetuſtis abundè fuit

instructa. DLUGOSSI tamen ANNALIUM Tomum alterum duntaxat habuit: ut ANTONIVS POSSEVINUS, qui Bibliothecam illam STEPHANO BATHOREO regnante invisit, in CATALOGIS CODICUM MANUSCRIPTORUM, APPARATUS SACRI sui Tomo II appositis p. III, annotavit.

Saeculi huius exordio turbidissimo, Russorum Caesaris, PETRI MAGNI bellicus consiliarius intimus: filiique ipsius ALEXII PETROVICII, morum ac studiorum rector, custosque fidissimus: HENRICUS AB HUYSSEN, litterarum bono maximo, in Poloniam venit. Vir enim ille, summè et doctus, et sapiens, et temperatus, Caesarem ipsum, militiaeque eius duces, musis Sarmaticis, modis omnibus conciliavit. Familiarissimusque, regni huius Senatoribus, atque Nobilibus primariis, factus: amicitiam singularem, cum ALBERTO DEMBINSCIO †††, Osviecimensi atque Zatoriensi Vexillifero, humanitatis studiis optimè instituto, contraxit. In cuius libraria supellectili, domesticis scriptoribus locuplete, DLUGOSSI ANNALIUM POLONICORUM, Libros Sex posteriores nondum editos, immensa cum voluptate conspexit. Quos, ad publicandum, à possessore politissimo facile †††† impetravit. Utrum, post eorum impres-

impreſſionem, manuſcriptus Codex DEMBINSCIO fuerit redditus? ſuperſtesque ille in Familia DEMBINSCIANA adhuc ſit? Cracoviae è DEMBINSCIIS Illuſtribus, Urbem illam continuè negotiorum cauſa frequentantibus, commodiùs poterit intelligi.

††† DEMBINSCIO eodem, qui PHILOMELAM, ROSARIANAM, Myſteria SS. Roſarii B. V. MARIÆ, carmine Leonino canentem, *CRACOVIAE* MDCCX, forma 8, emiſit.

†††† HUYSSEN quidem Lipſiae, annis MDCCXI et MDCCXII, DLUGOSSI ANNALIUM Libros Sex priores, ex Editione Dobrimilenſi, folii magnitudine repeti: alteros Sex, è DEMBINSCIANO Codice MSto, typis excudi iuſſit.

HUYSSEN idem ipſe, Gentis Polonicae amantiſſimus, biennio priùs, DE STATU ACADEMIÆ CRACOVIENSIS ANNI MDCCIX, relationem accuratam et honorificam, NOVIS LITTERARIIS GERMANIÆ, Hamburgi anno illo, forma 4 editis, p. 462 — 466, inſerendam curavit.

SIGISMUNDI AUGUSTI, ATQUE STEPHANI BATHOREI, POLONIÆ REGUM, EPISTOLÆ MSS: ab ipſo illo HUYSSEN in itinere Polonico comparatae: ab eoque, cum polyhiſtore Lipſienſi IOANNE BURCHARDO MENCKENIO communicatae, huius viri celeberrimi cura diligenti, in Urbe Lipſia, anno MDCCIII, forma 8 prodierunt.

DEMBINSCIANUM autem illum Codicem, ex apographo recenti, turpiterque atque nequiter corrupto, fuiſſe deſcriptum: locus foediſſimus, à ZALUSCIO Kiovienſi Praeſule, virgula cenſoria notatus ‡, ſatis comprobat.

‡ In SPECIMINE HISTORIÆ POLONÆ CRITICÆ, p. 88. Locum quidem illum, Lipſienſis Editoris heterodoxi petulantia, ita fuiſſe vitiatum: ZALUSCIUS Epiſcopus doctiſſimus, piiſſimusque, perſuaſum tam diu habuit, donec manuſcriptum Codicem alium, taliter depravatum, ipſe fuerit affecutus.

Solet, ob vetuſtatem ſuam, Codex ille ſingulariter praedicari: qui in Coenobio S. CRUCIS, Sandomirienſi in Satrapia ſito, reperitur. Cuius accurata notitia, maximè nobis eſt neceſſaria. Poſſent enim, illius Codicis ope auctoritateque, reliqui Codices, antiqui quidem, ſed imperfecti, ſuppleri: recentes autem, atque vitiati, corrigi et emendari.

Exſtare Cracoviae, in Bibliotheca PATRUM DOMINICANORUM, DLUGOSSI ANNALIUM REGNI POLONIÆ Libros VI priores, manu admodum vetuſta exſcriptos: à blattis autem, tineisque paenè, corroſos: ZALUSCIUS Kioviae Antiſtes, in INDICE LIBRORUM MANUSCRIPTORUM, quos in Bibliothecis alienis vidit, p. 29.b, memoriae prodidit. Qui Codex, quàm negligenter ſit habitus: tàm diligenter à viro docto eſt inſpiciendus atque examinandus.

Aſſervari etiam Gedani, apud PATRES DOMINICANOS, idem DLUGOSSI opus, calamo exaratum: SAMUEL JOACHIMUS HOPPIUS auctor eſt, in SCHEDIASMATE LITTE-

LITTERARIO ſuo, DE SCRIPTORIBUS HISTORIÆ POLONICÆ, §. XII. p. m. 21. Patruumque ſuum JOACHIMUM HOPPIUM, Conſulem Gedanenſem, editis ſcriptis iuridicis celebrem, ſua in bibliotheca, DLUGOSSI ANNALIUM Libros XII ‡, manu deſcriptos, habuiſſe: HOPPIUS idem refert.

‡ Librum quidem XII imperfectum: qui, HOPPIO ipſo teſte, annum MCCCCXLIV non erat ſupergreſſus.

Caliſſienſe Collegium Societatis IESV, à magno conditore ſuo, STANISLAO CARNCOVIO, Gneſnenſi Archiepiſcopo atque Regni Poloniae Primate, DLUGOSSI ANNALIUM Codicem vetuſtiſſimum, eundemque integrum, accepit. Qui ipſi à Suecis eſt ereptus.

Periitque fato pari Codex ille: quem Epiſcopus Plocenſis, STANISLAUS LUBIENSCIUS, rerum Polonicarum graviſſimus, elegantiſſimusque ſcriptor, Antiſtitibus in Plocenſi Epiſcopatu, ſibi ſucceſſuris, reliquerat.

Supereſt adhuc Levartoviae, Lublinenſis Satrapiae oppido, in Bibliotheca Principum SANGUSCONUM, DLUGOSSI ANNALIUM Codex vetuſtus; isque praeſtantiſſimus: tria in Volumina, folii maximi, diviſus. Qui, ſaeculo ſuperiori, ad Principem

GEOR-

GEORGIUM OSSOLINSCIUM, Regni Cancellarium ſupremum: oratorem ſuae aetatis eminentiſſimum: pertinuit. Cui ab Academia Cracovienſi * donatus fuit.

* Reſtant, in Cracovienſi Bibliotheca Academica, DLUGOSSI ANNALIUM, calamo conſignatorum, Volumina duo manca: Codicum MSStorum Bibliothecae eiusdem Catalogo, p. 112, perhibente.

Varſaviae, ZALUSCIANA in Bibliotheca publica, Volumen unum vetuſtiſſimum †* ſervatur. Cui, DLUGOSSI inſunt ANNALIUM Libri VIII priores, ad annum MCCXCIX. Reliqui Codices ZALUSCIANI aevo recentiori ſcripti ſunt. Nec unus quidem, opus illud integrum exhibet.

†* Idque: multa ex parte, tùm vetuſtate, tùm ſedis olim putridae humore, conglutinatum ſimul et ſubeſum: Auguſtiſſimus Bibliothecae huius Vindex et Conſervator benè refici, ac regiè adornari curavit.

Primus Codex ZALUSCIANUS recentior: è corrupto exemplari deſcriptus: Libros VI poſteriores complectitur. Eſt ille Tomis tribus diſtinctus. Quorum prior, ab anno MCCXLI, ad annum MCCCCVI, procedit: alter exinde, ad annum MCCCCXXXIV, progreditur: tertius ‡**, anno MCCCCLXXX, finit.

‡** Foetet hicce Tomus loco obſceniſſimo, à ZALUSCIO Antiſtite erudito ſanctoque, in Editione Lipſienſi reprehenſo.

Alter

Alter Codex aevi recentioris: è vetuſtiore atque genuino accuratè deſcriptus: orſus ab anno MCCXLI, in annum MCCCCVI deſinit.

Codex tertius, recentiorum omnium, quos videris, nobiliſſimus: Gneſnenſis Archipraeſulis, Regnique Primatis, IOANNIS WENZYK cura et impenſa, è Codice antiquiſſimo †† atque optimo, elegantia et induſtria incredibili deſcriptus: unicum Librum XII †††, ab anno MCCCCXXXV, usque ad annum MCCCCLXXX, continet. Qui à Lipſienſium Editione valdè diſſentit.

†† CARNCOVIANO, ut ego quidem conjicio. WENZYKIANUS ille Codex: huius ſaeculi medio, à Pontifice Cracovienſi, ANDREA STANISLAO KOSTKA ZALUSCIO comparatus, Civiumque uſui perenni conſecratus: diebus his, Regis Polonorum, STANISLAI AUGUSTI liberalitate, amictum novum ſplendidumque eſt ſortitus.

††† Liber XII, ab anno MCCCCXXXV, usque ad annum MCCCCLXXX, productus: inventu omnium eſt difficillimus.

Exſtat etiam Varſaviae, in Bibliotheca Preſbyterorum Congregationis S. Miſſionis, non ſpernendae antiquitatis Volumen: quo DLUGOSSI ANNALIUM Liber XII, ab anno MCCCCXXXV, ad annum MCCCCLXXIX, exhibetur. Superioris ſaeculi exitu, Bibliothecae BONAVENTURÆ MADALINSCII, Epiſcopi Vladiſlavienſis, pars fuit.

Nec



Nec ſilentio praetereundus eſt Codex recentior, à Vladiſlavienſi item Praeſule, ANTONIO DEMBOWSCIO, patriarum rerum ſtudioſiſſimo ac peritiſſimo, filiis † ſuis relictus ††: complectens DLUGOSSI ANNALIUM Libros VI poſteriores, è vetuſto Codice bonae notae deſcriptos.

† STEPHANO Czechovienſi nunc Caſtellano, atque IOANNI Camenecenſi Epiſcopo Coadiutori: utrique, litteraturae domeſticae amatori, virtutumque paternarum imitatori acerrimo.

†† Laudatus à ZALUSCIO Antiſtite Kiovienſi, in SPECIMINE HISTORIÆ POLONÆ CRITICÆ, l. c.

Anno hoc MDCCLXXVI exoriente, STANISLAI AUGUSTI Polonorum Regis maximi, vates hiſtoricusque inclytiſſimus, ADAMUS NARUSSEVICIUS, creatus iam Epiſcopus Coadiutor Smolenscenſis, DLUGOSSI ANNALIUM Codicem elegantem, ante annos circiter CCL exaratum: è Lituania advectum: in Regiae Maieſtatis Suae Bibliothecam propriam intulit. Codicem illum haud integrum eſſe, Praeſul ipſe NARUSSEVICIUS, cum me oculorum aegritudine ita affectum peramanter inviſeret, candidè ipſe mihi eſt faſſus.

Reliquorum DLUGOSSI Operum Codices MSStos, viribus corporis mentisque aliquatenùs novatis, in Volumine ſubſequenti indicabimus.

XXXIX.

XXXIX.

JOANNES DOBCZYCENSIS, à Regia civitate, Dobcicia, in qua lucem aſpexerat, cognomen ſibi aſſumſit. Totam adoleſcentiam dedit profanis ſtudiis. Conſtanti iam aetate ingreſſus eſt ordinem Fratrum Minorum Obſervantium, qui à Polonis BERNARDINI appellantur. Atque ab anno MCCCCLXXXI, usque ad annum MDIII, in templo coenobii Cracovienſis, diebus DOMINICIS Feſtisque, de rebus divinis, conciones ad populum Polonico ſermone habuit. Feriarum autem publicarum tempore, è ſacro ſuggeſtu, magna ſtudioſorum iuvenum, doctorumque hominum frequentia, varias ac diverſas praelectiones Latinè recitavit. Quae, tali modo, de habenda memoriae cura diſſeruit, in tenue volumen collecta, ſub ſequenti rubro publicavit: OPUSCULUM DE ARTE MEMORATIUA LONGE UTILISSIMUM. In quo ſtudiosus lector tam artificialibus preceptis quam naturalibus medicinalibusque documentis memoriam ſuam adeo fouere discet: ut quecunque uel audita uel lecta illi commendauerit tanquam in cella penaria diutissime conseruaturus ſit. IMPRESSUM *CRACOUIE*. SUB ANNO DOMINICE INCARNATIONIS MDIIII. 4. Exoriente anno MDVII, vitam cum morte commutavit.

XL.

XL.

✝ IOANNES de ELGOTH * decretorum Doctor, Cracovienſisque Cathedralis Scholaſticus atque Canonicus: Praeſulis Cracovienſis SBIGNEI OLESNICII, atque Canonicorum Cracovienſium collegii, Orator ſecundus: generali in Concilio Baſileenſi, FELICIS ** Papae V electioni adfuit. Exſtat eius Sermo in feſto Epiphanie domini coram ſacroſancta generali Synodo Baſileenſi dictus. Eſtque ipſius Oratio ad ſanctiſſimum dominum *Felicem* papam V habita. Opuſculum utrumque ***, tenuiſſimo in volumine, forma 4, antiquo charactere exaratum: ZALUSCIANOS inter Codices MSStos: ſub numero MDCCCCLXXXIV invenitur. Obiit ELGOTH ille Cracoviae, anno Domini MCCCCLII, die XXIV menſis Auguſti: teſtante ſepulcrali tabula ****, Cathedrali in Eccleſia, ipſi poſita.

* Cognomen illud ferebat, à Czenſtochovienſis Coenobii pago: in quo natus ipſe fuerat. Conjici id poteſt, è DLUGOSSI ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, ſub annis MCCCXCIII p. 139. et MCCCCXXXI p. 577.

** Ab hoc FELICE, Cracovienſis Antiſtes SBIGNEUS OLESNICIUS, Cardinalis S. ANASTASIÆ renunciabatur: qui honorem illum, à Pontifice vicioſè facto, noluit acceptare: meritiſſimè deinceps, à NICOLAO V, Summo et Romano Pontifice juſtè et legitimè creato, in Purpuratorum Patrum numerum receptus, titulo S. PRISCÆ tunc ei impertito.

*** Anni nota, in utroque, eſt omiſſa.

**** Cu-

**** Cuius inſcriptio, SIMONIS STAROVOLSCII MONUMENTIS SARMATARUM, p. 36, eſt inſerta.

Cum *Ianocius* haec iam dictaſſet, miſſus ipſi eſt à Sereniſſimo Principe ac Domino STANISLAO AUGUSTO, Polonorum Rege Muſagetaque Maximo, Codicum MSStorum Cracovienſis Bibliothecae Academicae Catalogus, quem Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, aevo hoc doctiſſimus, ſtudiorumque in Academia Cracovienſi reformator acerrimus, HUGO KOŁŁĄTAY, anni MDCCLXXVII exitu, in Regiae Maieſtatis uſum, perſcribi curavit. In quo, p. 116, indicantur:

Ioannis de *Elgoth*, Scholaſtici Cracovienſis: Litterae VI, ad *Felicem* Papam V.

————————: Littera ad *Sbigneum* Cardinalem Cracovienſem.

————————: Littera ad *Guilielmum* Cardinalem Andegavenſem.

————————: Littera ad Nicolaum *Lasocium* Cracovienſem Canonicum.

————————: Litterae VII ad Diverſos.

————————: Littera ad Univerſitates Studiorum.

XLI.

+ ELISABETHA * AUSTRIACA, Romanorum Imperatoris ALBERTI II

 filia:

filia: CASIMIRI JAGELLONIDIS Regis Polonorum uxor: Cracoviae, anno MDV, tertio Kalendas Augufti, demortua: confectum à fe, DE INSTITUTIONE REGII PUERI, opufculum reliquit. Id, calamo defcriptum, Viennae Auftriae in Bibliotheca Imperatoria affervari:. IACOBUS FRISIVS, in GESNERIANÆ BIBLIOTHECÆ EPITOME, Tiguri MDLXXXIII excufa, p. 213. a. memoriae mandavit.

* Regina haec, ambitiofa mulier, atque imperiofa: ERASMO Epifcopo Plocenfi, ortu ignobili, infenfiffima: ALEXANDRUM Regem, filium fuum, potiffimè impulit: ut Radomiae, MDV, in Comitiis generalibus: ERASMO Epifcopo Romae tunc Regis Oratorem agente: de Plebejis, Epifcopis non creandis: deque Epifcopis è genere Plebejo iam affumtis, ad altiorem Epifcopatum non promovendis: Statutum novum conderet.

XLII.

✝ ERASMUS Epifcopus Plocenfis: CIOLCORUM * genus antiquum et illuftre ementitus: apud Gentes exteras, vocabulo Latino VITELLIUM fefe nominavit. Loco vili et obfcuro in Urbe Cracovia natus fuit. Puerque egit citharoedum ALEXANDRI, Principis Regii: qui plurimùm eius ingenio oblectatus, ipfum inter familiariffimos fuos recepit: Lituaniae autem Magnus Dux creatus, ERASMUM illum Cracoviae, IOANNI URSINO dicendi magi-

magiſtrò optimo, humanioribus litteris imbuendum, tradidit: Bononiamque deinde eum miſit, ubi PHILIPPI BEROALDI * philoſophi ac rhetoris celeberrimi ſcholas frequentavit.

* Quorum gentilicium inſigne, vitulum album, in campo rubeo, exhibet.

Abſentem ERASMUM ſuum ALEXANDER, Poloniae Regnum adeptus, Nobilitatis iuribus donavit: familiaeque illi, quae SULIMA ** à Polonis dicitur, eum adſcripſit. Reducem autem, mox ſacris initiatum, Cracovienſemque Canonicum eſſe voluit. Paulòque poſt, Plocenſi infula ornatum, Romam miſit: qui, ſuo nomine, IULIO II Summo Pontifici obedientiam praeſtaret.

** Cuius ſtemma, nigra aquila dimidiata, cum tribus lapidibus, eſt.

Fortunam tantam ERASMUS ille, liberalibus ſtudiis egregiè excultus, reverenter habere haud didicit. Factus enim Epiſcopus, faſtu ſuo ELISABETHAM Poloniae Reginam viduam, IOANNEMque LASCIUM Regni tùm Cancellarium, nimis offendit: inque omne genus Plebeiorum adeò exacerbavit: ut Regina, ERASMO Epiſcopo non praeſente, ALEXANDRUM Regem, filium ſuum, ad ferendam legem ***

 novam:

novam: de Plebejis, neque in Ordinem Epiſcoporum, neque in Cathedralium Canonicorum Collegia admittendis: deque Epiſcopis atque Canonicis è genere Plebeio iam creatis, à gradu altiori cohibendis, impelleret: Cancellarius autem, temporibus ſubſecutis, obtento Gneſnenſi Archiepiſcopatu Regnique Primatis honore, ſancitam à ſe Conſtitutionem Synodalem, de Plebejis quatuor tantùm Doctoribus, in Cathedrales Eccleſias Provinciae Gneſnenſis Metropolitanae aſciſcendis ****, Pontificis Romani Maximi, Regisque atque Ordinum Regni Poloniae auctoritate, approbandam atque confirmandam curaret.

*** Vide IOANNIS LASCII adhuc Cancellarii, COMMUNE INCLYTI REGNI POLONIÆ PRIVILEGIUM, fol. CXVII, a, ſq. et STANISLAI KONARSCII, LEGUM PATRIARUM Volumen I, p. 302, ſq.

**** Inſpice, quaeſo, IOANNIS LASCII iam Primatis, STATUTA NOVA INCLYTÆ PROVINCIÆ GNESNENSIS, fol. XIV, a, — XVI, a.

ALEXANDRO Rege, MDVI, demortuo: ERASMUS Epiſcopus, à SIGISMUNDO Primo Rege electo, juſſus eſt Legationem Romanam nomine ſuo proſequi. Ab eodemque Rege, ad MAXIMILIANUM Primum Caeſarem, et ad Imperii Romani Principes Electores, Orator miſſus fuit. Gravi deinceps Legatione, ad LEONEM X Pontificem Maximum, ſibi deman-

demandata: cum Romae †, apud Sanctiſſimum Dominum, Regis ſui negotia haud infeliciter tractaret: modis doloſis cupiit Cardinalis †† creari, SIGISMUNDO Rege prorſùs inſcio. Quam rem Maieſtas Sua tàm aegrè tulit, ut ſubditos ſuos, Sacrae Purpurae honorem in Curia Romana, ſinè Regio ſuo, atque Regni ſui Ordinum conſenſu quaerere, Litteris publicis, ad Summum Pontificem, et ad Purpuratos Patres, ad ipſumque ERASMUM Epiſcopum miſſis, vetaret.

† Ubi tunc temporis omnium ſplendidiſſimè vixit: aulamque numeroſam habuit, quam PETRUS GAMRATUS, ortu quidem Plebeius, ſed vafer callidusque, Mareſchalci titulo ab ERASMO Epiſcopo inſignitus, rexit. Qui poſtea, artibus ſuis, Epiſcopatum Plocenſem ipſe eſt aſſecutus. E quo, ad Cracovienſem Epiſcopatum, Gneſnenſemque ſimul Archiepiſcopatum, provectus fuit.

†† ANDREAS CRICIUS, Poſnanienſis adhuc Praepoſitus Cathedralis: ERASMI in Epiſcopatu Plocenſi ſucceſſor: illum praedeceſſorem ſuum, galerum purpureum Romae clanculùm petentem, Iambis probroſis inſectatus eſt: quos tamen luci publicae non expoſuit.

E vita intereà LEO X Pontifex Maximus, IV Nonas Decembris, MDXXI, ſublatus eſt: ERASMO Plocenſi Epiſcopo, Cardinali nondum renunciato. Qui Romae, anno inſequenti, poſt HADRIANI VI inaugurationem, ſive moerore animi, ſive morbo peſtilentiſſimo: qui tùm in Urbe Sancta graſſabatur: aetate adhuc vigente periit.

Bibliothecam ibi elegantem comparavit: cuius manuſcripti Codices praeſtantiores †††, hac noſtra aetate, ad ZALUSCIOS Illuſtres venerunt.

††† Quos, in SPECIMINE CATALOGI CODICUM MANUSCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ ZALUSCIANÆ, p. 5 — 17, et p. 21: inque COMMENTARIORUM, DE LIBRIS RARIORIBUS POLONICIS, Theodiſca lingua editorum, Parte III, p. 5 — 12, recenſuimus.

Quae nos, de ERASMO Epiſcopo Plocenſi, diximus: ex ANDREÆ CRICII Praeſulis Plocenſis, atque STANISLAI GORSCII Cracovienſis et Plocenſis Canonici, Operibus ‡ Anecdotis hauſta ſunt. MARTINUS CROMERUS Epiſcopus Varmienſis, in Hiſtoricis Operibus ſuis, Coloniae Agrippinae MDLXXXIX divulgatis, p. 457, ERASMI CIOLCI, Epiſcopi Plocenſis, meminit. BERNARDUSque VAPOVIUS Cracovienſis Primicerius, in Annalium ſuorum Fragmento, CROMERI Operibus adiuncto, p. 585, ERASMI eiusdem Epiſcopi, VITELLII appellati, fatum attigit. STANISLAUS autem LUBIENSCIUS Plocenſis Antiſtes, in VITIS EPISCOPORUM PLOCENSIUM p. 154 ſq., de ERASMO eſt locutus.

‡ In quibus, de ERASMO noſtro, ſermo creberrimus eſt.

ERASMI CIOŁEK Epiſcopi Plocenſis Epiſtolas: et Legationes, quibus apud IULIUM

LIUM II atque LEONEM X Pontifices Maximos, apud MAXIMILIANUM Primum Imperatorem, et apud Germaniae Principes Electores, SIGISMUNDI Primi Poloniae Regis Magnique Lituaniae Ducis nomine, functus eſt: STANISLAUS GORSCIUS Canonicus, SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM, Tomis VI ‡ prioribus: Tomoque XXV, Eccleſiaſtica negotia complectenti: locis ſuis, inſeruit. Earum volumen peculiare, veteri charactere exaratum, in ea Bibliotheca aſſervatur, quae Heilsbergae, Varmienſium Principum atque Epiſcoporum ſede, eſt: per TIDEMANNUM GISIUM Antiſtitem Varmienſem, SIGISMUNDI Primi quondam Secretarium, illuc perlatum. Earundem Epiſtolarum atque Legationum exemplar nitidiſſimum, è codice Heilsbergenſi deſcriptum, ANDREAS STANISLAUS KOSTKA Comes ZALUSCIUS, Pontifex Cracovienſis atque Dux Severiae, habuit: quod, poſt fata illius Praeſulis et Principis: unà cum libris aliis, in eius cubiculo ſecreto repertis: Cracovienſi Academiae ‡‡ ceſſit.

‡ Paginas eas: quibus ERASMI Epiſtolae et Legationes continentur: viſu ego nunc orbatus, indicare haud poſſum.

‡‡ Cuius, ZALUSCIUS ille, tutor et adjutor ſummus fuit.

Alium codicem veterem, eumque perquam elegantem: THOMÆ SOCOLOVII, Canonici Varſavienſis, manu perſcriptum: Ki-

oviensis Episcopus, IOSEPHUS ANDREAS Comes ZALUSCIUS, Cracoviensis Pontificis frater germanus, possidebat. Cuius is erat titulus: Reuerendissimi patris ERASMI Episcopi Plocensis, Serenissimorum principum ALEXANDRI et SIGISMUNDI Regum Poloniae, ad Pontifices et Caesares Romanos, Oratoris Epistolae, ad Serenissimos istos principes dominos suos, in legacionibus illis scriptę. Illum codicem ZALUSCIUS Antistes, viro cuidam Senatorii Ordinis, monumentorum talium amatori, concessit: à quo, in hunc diem, publicae Bibliothecae ZALUSCIANÆ nondum restitutus fuit.

Superest in Bibliotheca illa: Oratio, in prestita obedientia solenni Sanctissimo domino nostro IULIO II Papę, nomine Serenissimi principis ALEXANDRI Regis Polonię et Magni Ducis Lituanię, habita Romę in Consistorio publico, per Reuerendum patrem ERASMUM VITELLIUM Episcopum Plocensem, die lunę mensis Martii, anno Salutis MDV. Ibidemque, sine mentione typographi, promulgata. Forma 4.

Adestque adhuc: ORATIO PER REVERENDUM PATREM, DOMINUM ERASMUM VITELLIUM, EPISCOPUM PLOCENSEM †*, IN CELEBERRIMO AUGUSTANO CONVENTU, AD CĘSAREM MAXIMILIANUM, NOMINE VICTORIOSISSIMI REGIS POLONIĘ SIGISMUNDI, HABITA CORAM OMNIBUS SACRI IMPERII ELE-

ELECTORIBUS, PLURIMISQUE GERMANIĘ PRINCIPIBUS, DIE VENERIS, XX AUGUSTI, ANNO DOMINI MDXVIII. IMPRESSA †** AUGUSTĘ VINDELICORUM IN OFEICINA MILLERANA, forma 4: ab ALEXANDRO GUAGNINO, RERUM POLONICARUM Tomo III, p. 531—545, atque à IOANNE PISTORIO, POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomo III, p. 7—11, inſerta: â NICOLAO autem REUSNERO, SELECTISSIMARUM ORATIONUM ET CONSULTATIONUM DE BELLO TURCICO, VARIORUM ET DIVERSORUM AUCTORUM, Volumini I, p. 65—74 immiſta †***.

†* Cui, in ea Legatione, illuſtres duo alii Oratores, RAPHAEL DE LESZNO Caſtellanus Lendenſis, atque BOGUSSIUS Magni Ducatus Lituaniae Mareſchalcus, aſſiſtebant.

†** IACOBO SPIEGELIO Seleſtadienſi, Caeſaris Secretario, editore. Qui hanc Orationem, DESIDERIO ERASMO Roterodamo, utriusque litteraturae tùm principi, et Theologorum duci, propria ſua dedicavit Epiſtola: in qua ERASMUM VITELLIUM, Epiſcopum Plocenſem, laudibus maximis extulit.

†*** Illa enim Oratione ERASMUS Epiſcopus, MAXIMILIANUM Caeſarem, ad expeditionem generalem contra Turcas, Chriſtianae Reipublicae hoſtes immanes, cum omni feſtinatione properandam, SIGISMUNDI Regis ſui nomine exhortatus eſt.

GERARDUS IOANNES VOSSIUS, ſaeculi ſuperioris Polyhiſtor celeberrimus, eo in opere, quo Hiſtoricos Latinos diligentia ſumma perſecutus eſt, p. 646 relictum ab ERASMO VITELLIO librum, de victoria SIGIS-

GISMUNDI Regis Poloniae adverſus Turcas: ab ipſoque MAXIMILIANO Primo Imperatori dicatum: perperam adduxit. ERASMI VITELLII Epiſcopi Plocenſis Teſtamentum: Cracoviae nuperrimè in Bibliotheca Academica repertum: Codicum MSStorum Bibliothecae eiusdem Catalogus, p. 224, indicat.

Cum ERASMO illo Plocenſi Praeſule, non confundendus eſt ERASMUS Abbas Clarae tumbae apud Urbem Cracoviam. Qui, eadem ferè aetate, introducendis in Sacram Ciſtercienſium Familiam litteris melioribus, omnem curam, omnemque operam ſuam impendit: et DESIDERII ERASMI Roterodami, ſtudiorum ac morum in Germania reformatoris acerrimi, amicitia †**** ſingulari, externis Gentibus innotuit.

†**** Cuius teſtis locuples eſt ERASMI ipſius Roterodami Epiſtola MCCLVII.

XLIII.

ZACHARIAS FERRERIUS Vicentinus, Epiſcopus Gardienſis: idemque LEONIS X Pontificis Maximi Praelatus domeſticus et Referendarius: ut Apoſtolicus, ad SIGISMUNDUM I Poloniae Regem, cum omnimoda Legati de latere, et Maioris

ris Poenitentiarii de Urbe, poteſtate Nuncius et Orator, maximè inclaruit.

Erat iam, menſe Februario MDXX, in Polonia. Venit autem, menſe Novembri eiusdem anni, Thorunium: ubi tunc Regni comitia * generalia celebrabantur. Eratque, ea de cauſa, à S. Sede Apoſtolica miſſus, ut pacem inter SIGISMUNDUM Poloniae Regem, ipſiusque Nepotem, ALBERTUM Marchionem Brandenburgenſem, Ordinis Teutonici Magiſtrum Supremum, conciliaret.

* Coepta menſis memorati die XV.

Fuitque ipſi ſimùl demandata provincia, perquirendi Divi CASIMIRI, Regii Poloniae atque Lituaniae Principis, geſta et miracula. Quibus ritè ab eo examinatis et cognitis, opuſculum ſic inſcriptum, in lucem prodiit: VITA ** BEATI CASIMIRI, CONFESSORIS ex Serenissimis Polonię Regibus et Magnis Lituanię Ducibus clarissimi. A Reuerendissimo Patre, Domino ZACHARIA FERRERIO Vicentino, Pontifice Gardien: in Polonia et Lituania Legato Apoſtolico, ex fide dignorum teſtium depositionibus ſcripta Vilnę, anno Salutis MDXX. CRACOVIĘ, IN ĘDIBUS IOANNIS HALLER, EODEM ANNO, EXCUSA. 4.

** Cui, eruditiſſimi atque laborioſiſſimi Societatis IESU Presbyteri: qui colligendis atque illuſtrandis ACTIS SANCTORUM dederunt operam: in menſis Martii, Antverpiae evulgati, Tomo I, p. 337 — 351, locum attribuerunt.

Fecit

Fecit et FERRERIUS ille, in Divum eundem CASIMIRUM, Hymnum elegantissimum genere Sapphico. Qui Divi CASIMIRI vitae insertus fuit. Locumque mox sortitus est, inter NOVOS HYMNOS ECCLESIASTICOS: qui FERRERIO eodem auctore, in Urbe Roma, anno MDXXV, forma 4 prodierunt.

Cracoviae, mense Maio anni MDXXI, ex officina IOANNIS HALLER, forma 4, binae sunt egressae: ORATIONES REVERENDIS. PATRIS ZACHARIĘ FERRERII VICENTINI, PONTIFICIS GARDIENSIS, IN POLONIAM ET LITUANIAM LEGATI APOSTOLICI, HABITĘ THORUNII IN PRUSSIA, ad SERENISSIMUM POLONIĘ REGEM SIGISMUNDUM: PRO EODEM REGE, ET MAGNO PRUSSIĘ MAGISTRO, APOSTOLICA AUCTORITATE INVICEM RECONCILIANDIS.

Productaque foràs est: ORATIO LEGATI APOSTOLICI, REVERENDISSIMI PATRIS ZACHARIĘ FERRERII VICENTINI, PONTIFICIS GARDIENSIS. Habita Thorunii in Prussia, ad Serenissimum Regem Polonię SIGISMUNDUM, de eliminandis è Regno Polonię erroneis et contagiosis traditionibus Fratris Martini Luteri. APUD IOANNEM HALLER IN REGIA URBE *CRACOVIA.* III Kalendas Iulias. Anno à salutifero partu MDXXI. 4.

FER-

FERRERII huiuſce, Apoſtolici Nuncii vigilantiſſimi, monitu atque hortatu, SIGISMUNDUS Rex religioſiſſimus, Thorunii ipſo die Inventionis S. CRUCIS, anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo, regni ſui quartodecimo, contra Fratris Martini Luteri Ordinis Eremitarum damnata ſcripta, Edictum primum *** publicavit. Quod FERRERIUS ipſe Orationi Anti-Luterinae ſubjunxit. Eidem Orationi, ZACHARIĘ Epiſcopi Gardien̄ Legati Apoſtolici, ad ſacros concionatores in Polonia, Lituania, Russia ac Prussia conſtitutos, Decretum pro Chriſtiano ritu ſeruando et ampliando: itemque Concrematio Luterinarum traditionum in Prussia, eiusdem Legati mandato: et Edictum Inuictiſſimi Cęſaris CAROLI in causa Luterina, acceſſerunt.

*** Edictum alterum eiusdem Regis, idque ſeveriſſimum, Cracoviae ſabbato ante feſtum Natalis Sanctiſſimae MARIÆ Virginis, anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, regni ſui decimo ſeptimo, contra cuiusdam Luteri eiusque ſequacium libros, promulgatum: IOANNES LASCIUS, Gneſnenſis Archiepiſcopus, STATVTIS NOVIS INCLYTÆ PROVINCIÆ GNESNENSIS, fol. 30 ſq. inſeruit: ANDREASque CRICIUS, Premiſlienſis tunc Antiſtes, ENCOMIO LUTERI ſatyrico praefixit: ABRAHAMUS autem BZOVIUS, in ANNALIUM ECCLESIASTICORUM, poſt CÆSAREM Cardinalem BARONIUM continuatorum, Tomo XIX, p 490, N. VIII repetiit: unde demùm NATHANAEL FRIDERICUS KAUTZ, in PRÆCIPUIS AC PUBLICIS RELIGIONIS EVANGELICÆ IN POLONIA FATIS, p. 12 ſq. denuò protulit.

De Legatione Apoſtolica, à ZACHARIA FERRERIO, Epiſcopo Gardienſi, in Polonia ac Lituania, Pruſſiaque obita, ANDREAS CRICIUS, Premiſlienſis primùm, et deinceps Plocenſis Epiſcopus, extremòque Gneſnenſis Archipraeſul, in Operibus Anecdotis, p. 171 ſingularia quaedam memoriae mandavit: quae palàm à nobis pronuntiari nequeunt. Eandem Legationem ‡, à STANISLAO GORSCIO, Canonico Cracovienſi atque Plocenſi, in SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM Tomo V ‡, fol. 210, et 399, expoſitam eſſe: è STANISLAI CARNCOVII, Epiſcopi Vladiſlavienſis, COMPENDIO illarum ACTIONUM, ſub annis MDXX et MDXXI, cognovimus.

‡ Quam Pruſſici ſcriptores, CHRISTOPHORUS HARTKNOCH in der PREUSSISCHEN KIRCHEN-HISTORIA, p. 865, atque IACOBUS HENRICUS ZERNEKE in der THORNISCHEN CHRONICKE, p. 94 haud ſiluerunt.

‡ Qui in ZALUSCIANA Bibliotheca publica deſideratur.

XLIV.

✠ FRIDERICUS IAGELLONIUS *, è Regiis Poloniae Principibus, Lituaniaeque Ducibus: S. Romanae Eccleſiae titulo S. LUCIÆ in ſeptem ſoliis Cardinalis Presbyter, idemque Archiepiſcopus Gneſnenſis atque Epiſcopus Cracovienſis, Regnique

gnique Poloniae Primas: ALEXANDRO Rege apud Lituanos agente, Reipublicae Polonae gubernacula tenuit. Administro tunc inprimis usus est PETRO TOMICIO, Cracoviensi adhuc Archidiacono, Gnesnensique Primicerio.

* CASIMIRI IAGELLONIDIS filius: VLADISLAI Hungariae ac Bohemiae Regis, IOANNISque ALBERTI et ALEXANDRI et SIGISMUNDI Primi Regum Poloniae, CASIMIRI quoque Principis Regii sanctitatis laude celebratissimi, frater germanus: Cracoviensi in arce natus VI Kalendas Maii MCCCCLXVIII: Cracoviaeque in palatio Episcopali, in ipso aetatis flore, morbo teterrimo absumtus, pridie Idus Martii MDIII.

Potestas quidem tam ampla FRIDERICO Cardinali, Regni Gubernatori, ab ipso ALEXANDRO Rege fuit concessa: ut non tantùm Nobilitati, prout tum moris erat, ius dicere, et Regii iuris sacerdotia ac bona vacua, Regnique dignitates vacuas conferre: verùm etiam Comitia generalia indicere, ac leges novas sancire posset. In qua exequenda, Cardinalis tàm prudentem, tàmque iustum, et tàm moderatum Polonis sese praebuit, ut diutinam Regis sui absentiam haud aegrè ferrent.

Statuta Comitiorum Generalium: absente ALEXANDRO Rege: pręside FRIDERICO Cardinali Regni Polonię Gubernatore, Petricouię MDIII celebratorum, IOANNES LASCIUS Magnus tunc

Cancel-

Cancellarius in COMMUNI INCLYTI POLONIĘ REGNI PRIVILEGIO, fol. CXI, ſq., exhibuit: indeque STANISLAUS KONARSCIUS, in LEGUM PATRIARUM Volumen I, p. 292—294, tranſtulit.

Legationes à FRIDERICO Cardinali, Archiepiſcopo Gneſnenſi et Epiſcopo Cracovienſi, Regnique Polonię Gubernatore, ad VLADISLAUM Hungarię atque Bohemię Regem, et ad ALEXANDRUM Regem Polonię, Magnumque Ducem Lituanię, germanos ſuos: ad ELISABETHAM AUSTRIACAM, Polonię Reginam viduam, matrem ſuam: ad Cracovienſe denique Capitulum Cathedrale, miſſas: itemque Epiſtolas ab eodem Cardinali, et Regni Polonię Gubernatore, ad ALEXANDRUM Sextum Summum Pontificem, ad S. Romanę Eccleſię Cardinales, et ad Proceres Regni Polonię, ſcriptas: STANISLAUS GORSCIUS, eo in Volumine**, quo IOANNIS ALBERTI atque ALEXANDRI, SIGISMUNDIque Primi, Polonię Regum, Epiſtolę Selectiores continentur, poſteritati reſervavit.

** ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, ſub numero CCXXVII nunc exiſtenti. Cuius apographum, eosdem inter Codices, ſub numero CCXXVIII reperitur.

Statuta ſynodi prouincialis: ſub felici preſidencia Illuſtriſſimi principis Friderici: ſancte Lucie in ſeptem ſoliis Rome cardinalis presbyteri: eccleſie Gneznen̄ archiepiſcopi et primatis atque epiſcopi Cracouien̄: in

in Piotrkow MCCCCXCVII ſabbato ante Egidii celebrate, Cracovienſi in Tabulario Cathedrali repoſita: Kiovienſis Praeſul, Comes ZALUSCIUS, in CODICUM MSSTORUM, alienis in Bibliothecis à ſeipſo deprehenſorum et perlectorum, INDICE ALTERO, p. 10. commemorat.

Miſſale † dioeceſis Cracovieñ. Illuſtriſſimi principis Friderici in ſeptem ſoliis Rome cardinalis presbiteri. Gnezneñ archipreſulis et primatis atq; epiſcopi Cracovieñ ordinacione. Cracovie in edibus domini Johannis Haller civis Cracovieñ. per Georgium Stuchs ex Sultzbach conciuem Nurmbergenſem impreſſum. ante annum MCCCCC, forma 4 maxima: Varſaviae in ZALUSCIANA Bibliotheca publica ſervatur.

† Eſt hoc, primum omnium, quod, in Polonia ipſa, typis fuit excuſum. De quo copioſè diximus, in COMMENTARIORUM, DE LIBRIS RARIORIBUS POLONICIS, lingua Theotiſca editorum, Parte IV. p. 99 — 104.

Legendi ſunt, de FRIDERICI Cardinalis rebus geſtis, deque eius virtutibus ac vitiis: MATHIAS de MIECHOVIA in ADDITAMENTO MS, ad IOANNIS DLUGOSSI VITAS EPISCOPORUM CRACOVIENSIUM MSS, fol. 28, b — 30, a, inque editi CHRONICI POLONORUM Libro IV, p. 363, et 373 ſq. MARTINUS CROMERUS in

Operibus Hiſtoricis Coloniae Agrippinae MDLXXXIX folii magnitudine publicatis, p. 450 et 451: SIMON STAROVOLSCIUS in VITIS ANTISTITUM CRACOVIENSIUM, p. 185—188: STEPHANUS DAMALEVICIUS in SERIE ARCHIEPISCOPORUM GNESNENSIUM, p. 272—275: STANISLAUS BUZENSCIUS in VITIS ARCHIEPISCOPORUM GNESNENSIUM ET REGNI POLONIÆ PRIMATUM MSS, p. 629—650: LAURENTIUSque MIZLERUS DE KOLOF in Epitome BUZENSCIANI Operis, ACTIS LITTERARIIS REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITUANIÆ, anni MDCCLV, inſerta, p. 60—62.

XLV.

✝ FULCO, patrio idiomate PEŁKA dictus: „Polonus natione ac genere nobilis, „Gneſnenſis Archiepiſcopus per GREGORIUM Pa„pam Nonum, anno Domini MCCXXXIV, ordina„tus:“ à principe hiſtoricorum Polonorum, IOANNE DLUGOSSO, in VITIS ARCHIEPISCOPORUM ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS MSStis, p. 75 perperàm traditur. FULCO enim ille, menſe Iulio anni MCCXXXIII, inauguratus iam Archipraeſul, Siradiae Gneſnenſis Archidioeceſeos civitate * non ignobili, totius Provinciae Metropolitanae ſuae Synodum celebravit.

ZALU-

ZALUSCIANA in Bibliotheca publica superſunt: CONSTITUTIONES Synodi Prouincialis, à FULCONE Gneznensi quondam Archiepiſcopo, una cum fratribus Coepiſcopis ** suis, et aliis Prelatis Ecclesiarum Polonie, in Siradia MCCXXXIII, quinto Nonas Iulii celebrate: IAROSLAI BOGORII ***, Archipraeſulis Gneſnenſis, SYNODICO ECCLESIARUM POLONIE MS, p. 19—23, inſertae.

* Quae cognominati à ſe Palatinatûs Siradienſis caput eſt.

** Quorum nomina non indicantur.

*** De quo, in hoc Volumine, ſub Numero XII, ubertim diximus.

FULCO idem Archiepiſcopus, Lanciciae † Gneſnenſium Archipraeſulum ſede tùm praecipua, MCCLVII ‡ die B. CALIXTI Synodum alteram Provincialem habuit: cuî PRANDOTA Cracovienſis, THOMAS Vratiſlavienſis, BOGUPHALUS huius nominis tertius Poſnanienſis, VOLIMIRUS Vladiſlavienſis, ANDREAS Plocenſis, WILHELMUSque Lubuſſenſis, Epiſcopi ‡: multique et Abbates, et Praelati, et Canonici affuerunt. „Conſtitutiones multas in illa Synodo fuiſſe ordinatas: „easque in Eccleſiis Cathedralibus reconditas:" temporis illius ſcriptor, GODISLAUS BASCO, in CHRONICO POLONIÆ, Editionis SOMMERSBERGIANÆ p. 71, ZALUSCIANÆ autem p. 148, memoriae prodidit. Quas,

à BOGORIO Archipraesule sivè non acquisitas, sivè de industria omissas, aevo nostro ZALUSCIUS, Praesul atque Litterator maximus, nullo modo potuit explorare.

† A qua urbicula Lanciciensis Palatinatus nomen suum accepit.

‡ Corrige, quaeso, Comitem ZALUSCIUM, Antistitem meum, in CONSPECTU EDENDI SYNODICI POLONIÆ ORTHODOXÆ, p. 9, bis errantem.

‡ Quos BASCO l. c. nominavit.

FULCONEM huncce Archiepiscopum, Lanciciae anno Domini MCCLVIII, quinta die Aprilis, in Curia Archiepiscopali fatis functum, DLUGOSSUS l. c. accuratiùs perhibuit. Cuius gesta BASCO, occasione passim sibi praedita, multò copiosius enarravit.

XLVI.

MARTINVS GALLVS exul: auctor CHRONICI POLONIÆ, Saeculo XII exoriente: vide MARTINVS.

✝ IOSEPHVS GAMBREVS, Polonus * natione: MAXIMILIANO Archiduci Austriae, Regi à Polonis quibusdam renunciato, deditissimus: Principi huic, CARMINA VARIA, atque EPIGRAMMATA sacravit. Quorum specimina, à BARTHOLOMÆO

PAPRO-

PAPROCIO, in operis sui, omnium rarissimi: quod SPECVLVM MARCHIONATVS MORAVIÆ inscribitur: Prooemio, p. 75, et 77, sunt exhibita. GAMBREVS ipse, praeter Scripta alia, CHRONICON POLONIÆ ** composuit, à PAPROCIO, eodem in Prooemio, p. 64, commemoratum. Episcopus Kioviensis, JOSEPHVS ANDREAS Comes ZALVSCIVS: Scriptorum nostratium cupidissimus: GAMBREI Opera, in Bibliothecis publicis, privatisque, per universam Poloniam, Silesiamque, atque Bohemiam, frustra quaesivit.

* Huncce GAMBREVM Biecie, Cracoviensis Satrapiae civitate, Hungarorum Commertiis tunc inprimis celebri, parentibus honestis ac fortunatis genitum: MARTINOque CROMERO patria Biecensi, Varmiensis Ecclesiae Antistiti, cognatione junctum fuisse: è miscellaneo Volumine Polonico MSto, folii magnitudine sub numero CCCXCVII b existente, p. 236, cognovimus.

** Lingua vernacula: quemadmodum è PAPROCII narratione conjicimus.

XLVII.

✝ PETRVS GAMRATVS, Archiepiscopus Gnesnensis atque Episcopus Cracoviensis, Regnique Poloniae Primas: BONÆ Reginae favore florentissimus: Cracoviae * mortuus est, anno salutis MDXLV, aetatis LVIII. Litterarum planè rudis: eruditorum autem virorum amantissimus atque obser-

obſervantiſſimus fuit. MARTINVM CROMERVM Biecenſem, hiſtoriae Polonae elegantiſſimum ſcriptorem, omnibus praetulit: Cracovienſisque Eccleſiae Cathedralis Canonicum fecit: et aliis ſacerdotiis opimioribus ditavit. Cuius ipſe opera ** maximè eſt uſus in regendo Cracovienſi Epiſcopatu totius Poloniae ampliſſimo. Eiusque ſuaſu, PETRVM ROYSIVM *** MAVREVM, Hiſpanorum temporibus ſuis eruditiſſimum, ad explicandum ius civile Cracoviam accivit. Sunt in ZALVSCIORVM muſeo publico: DECRETA ET CONSTITUTIONES SACROSANCTĘ SYNODI PROVINCIALIS, Patricovię anno Domini MDXLII, die Martis, decima ſeptima menſis Octobris, pręſidente Reverendiſſimo in Chriſto patre et domino, domino PETRO à GAMRATIS, Dei gratia Archiepiſcopo Gneſnen̄ et Epiſcopo Cracovien̄, Legato nato et Primate Regni Polonię, ſolenniter celebratę. CRACOVIĘ excuſa per MATHIAM SCHARFFENBERG anno MDXLIV, forma 4 maiori: GAMRATI Archipraeſulis nomine, à CROMERO conſcripta: inventu, in Polonia ipſa, omnium difficillima ****.

* Ibidemque in Templo Cathedrali ſepultus, et tali Epitaphio à BONA Regina honoratus:

Gamratum Regina potens BONA SFORTIA Petrum
 Cracovię et Gneſnę Pontificem ſtatuit.
Sarmatici, dum vixit, erat Pater ille Senatus:
 Hoc vita functo, publica res tepuit.
Extincto ac vivo favit pia BONA, videte!
 Quę titulos dederat, hęc dedit et tumulum.

** CRO-

** CROMERI etiam dexteritate GAMRATVS, Romana in Curia, retinendi cum Gnesnensi Archiepiscopatu Cracoviensis Episcopatus copiam facilè impetravit.

*** De quo, in huius operis Volumine I, sub numero LXXXIX, p. 227 — 238, uberrimè locuti sumus.

**** Litteratissimo Comiti ZALVSCIO: cum Varsaviae MDCCXLIV, in typographeo Scholarum Piarum, CONSPECTVM SYNODICI POLONIÆ ORTHODOXÆ, forma 4 publicaret: Statutorum GAMRATI exemplar, typis exscriptum, nondum obtinuerat. Ideòque tunc, in memorato illo opusculo, ab ipso fuit praetermissum.

GAMRATVS ille, antequam ad Cracoviensem Episcopatum, Gnesnensemque Archiepiscopatum ascenderet: Camenecensi primùm, dein Premisliensi, posteaque Plocensi Ecclesiae, Antistes datus fuit. Legendi de eo inprimis sunt, auctor anonymus in VITA PETRI KMITHÆ, Edit. Dobromil. p. 284 sq. et p. 289 — 292. Gedanen. p. 227 sq. et p. 232 — 234. Lipsien. p. 1617, et p. 1619 — 1621. PHILIPPVS PADNIEVIVS in Opusculo MSto, DE VIRIS ÆTATIS SVÆ ET GENTIS ILLVSTRIBVS, Cap. IV. STANISLAVS LVBIENSCIVS in VITIS EPISCOPORVM PLOCENSIVM, p. 163 — 165. SIMON STAROVOLSCIVS in VITIS ANTISTITVM CRACOVIENSIVM, p. 226 — 232. STEPHANVS DAMALEVICIVS in SERIE ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM, p. 296 — 300. et STANISLAVS BVZENSCIVS in VITIS

ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM ET REGNI POLONIÆ PRIMATVM Msstis, p. 816—892. LAVRENTIVSque MIZLERVS DE KOLOF in Epitome BVZENSCIANI Operis, ACTIS LITTERARIIS REGNI POLONIÆ ET MAGNI DVCATVS LITVANIÆ, anni MDCCLV, inserta, p. 171—174.

XLVIII.

✠ LEONHARDUS GORECIUS, Posnaniensis Satrapiae Eques: Helveticae quidem religionis sectator, patriarum autem rerum scriptor elegans: posteritati nomen suum commendavit iis opusculis, perrarò apud Polonos ipsos obviis:

I.) ORATIO LEONHARDI GORECII, EQUITIS POLONI, DE MORTE MAGNIFICI AC ILLUSTRIS VIRI, DOMINI IACOBI OSTROROGI, PRÆSIDIS POSNANIENSIS. EXCUSA *FRANCOFORDIÆ* CIS ODERAM. ANNO MDLXVIII. 4.

Orationi huic adjecta est GORECII ipsius Elegia: in qua IACOBUS OSTROROGUS de se loquitur.

II.) LEONHARDI GORECII, EQUITIS POLONI, ORATIO. Qua Gedanenses, ad deponenda arma, contra Principem suum insolenter suscepta, hortatur. 4.

In

In quaerenda Oratione illa, Comes ZALUSCIUS, Bibliothecae publicae conditor, operam omnem perdidit.

III.) ORATIO GEDANENSIS SECVNDA, EIUSDEM LEONHARDI GORECII, EQUITIS POLONI. Qua victoriam ex eisdem, Potentiſſimo ac Sereniſſimo Domino STEPHANO Dei gratia Regi Poloniae, reportatam gratulatur. *POSNANIÆ* MELCHIOR NERINGK EXCUDEBAT. A. D. 1578. 4.

E praefatione, quae ad ANDREAM Comitem GORCANUM, Mederecenſem Caſtellanum, Gneſnenſemque atque Valcenſem Praefectum, ſcripta eſt, abundè cognoſcimus: editam à GORECIO, de bello Gedanenſi, orationem ſuperiorem, eidem Maecenati dedicatam, inque caſtra Regia miſſam fuiſſe. Quae, ab ipſo, eo animo fuerit accepta, quo decuerit.

IV.) LEONHARDI GORECII, Equitis Poloni, Deſcriptio belli IVONIÆ, Palatini Valachiae. Quod anno MDLXXIV, cum SELYMO II, Turcarum Imperatore, geſſit. *Francofurti*, apud ANDREAM WECHELUM, A. MDLXXVIII. 8. ſeorſim publicata: ALEXANDRIque GVAGNINI, RERUM POLONICARUM Tomo III. p. 451—515, atque IOANNIS PISTORII, POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomo III, p. 75—94 inſerta.

— Idem opuſculum factum Germanicè: interprete NICOLAO HOENIGER *von Tauber Koenigshofen*. *Baſileae*, ex officina SEBASTIANI HENRICPETRI, MDLXXVIII, 4.

Relictum * à GORECIO opus grande: quo hiſtoriam Gentis Polonicae, ab eius incunabulis, usque ad exitum SIGISMUNDI AUGUSTI Regis, libris xx eſt complexus: in lucem, conſpectumque civium, nunquam prodiit.

* Ab ipſoque, in Deſcriptione belli IVONIÆ, p. 10 commemoratum.

XLIX.

PETRVS GORINSKI, homo callidus et factioſus: STANISLAO SRZENSCIO, Maſoviae Palatino eiusdemque Ducatus Vicario Regio, MDXXXV demortuo: ad eos honores eſt evectus. ZALVSCIANO in muſeo exſtant, inter volumina publici juris Polonici ſelectiora ac rariora: STATUTA DUCATUS MAZOVIĘ. Quęcunque vel more antiquo et inſtitutis maiorum recepta: vel Ducum ſanctionibus perlata: publico conſenſu approbata ſervantur: bona fide collecta: et in unum volumen comportata: opera atque diligentia Magnifici Domini PETRI GORINSKI in Oyrzanow hęredis, Palatini et Vicesgeren. Ducatus Mazovię. Autoritate Sereniſſimi Principis et Domini: Domini SIGISMUNDI Dei gratia Regis Polonię, Magnique Ducis Lituanię: Ruſſię, Pruſſię, Mazovię &c. Domini et Hęredis: confirmata et publicata. CRACOVIĘ per HIERONYMUM VIETOREM Regię Cancellarię Chalcographum impreſſa. Anno Domi-

Domini MDXLI. Folii magnitudine. Collector horum Statutorum, PETRVS GORINIVS, plurimùm apud BONAM Reginam valuit. Cum ANDREA CRICIO, Gneſnenſi Archiepiſcopo Regnique Poloniae Primate, in Comitiis generalibus: quae Petricoviae, ſub finem anni MDXXXV, SIGISMVNDO Primo Rege Vilnae tùm agente, à Regni Senatoribus atque Ordinis Equeſtris Legatis celebrabantur: ſimultatem grandem habuit. A quo proinde, in eo Dialogo *, qui ASIANA DIAETA inſcribitur, haud leviter perſtrictus fuit.

* CRICII OPERIBVS ANECDOTIS, p. 207 — 216 inſerto.

L.

✝ ANDREAS GRĄDZKI *, Ordinis Minorum Obſervantium Provinciae Lituanae, genere Lituanus fuit. Laudationibusque funebribus, ALEXANDRI MASSALSCII Mareſchalci Grodnenſis MDCXIV, et CHRYSOSTOMI CHODKIEVICII Lituanicarum copiarum Chiliarchi eodem anno, VINCENTIIque WOYNÆ Inturſcenſis Gubernatoris MDCXV, Vilnae ſermone Polonico dictis: atque ibidem forma 4 evulgatis: litteratis civibus innotuit.

* Quem

* Quem Episcopus Kioviensis, Comes ZALUSCIUS in BIBLIOTHECÆ POLONÆ, manu propria sua exaratae, Tomo I, p. 375, produxit.

LI.

✠ SAMUEL De Grądy * GRĄDZKI, Eques Masovius, regni IOANNIS III initio, floruit. HISTORIA ** BELLI COSACICO POLONICI: à GRĄDZKI illo MDCLXXVI conscripta: in lucem nunquam edita fuit.

* Sic nomen illud à Polonis idiomate patrio scribitur. Quod ab ipsis de Grondy GRONDZKI pronuntiatur. De GRONDZKIORUM familia perantiqua, Masoviaeque Ducum temporibus valdè honorata, CASPAR NIESIECSCIUS, in Genealogici Operis sui Tomo II. p. 202 omnium accuratissimè est commentatus. Qui etiam GRONDKIORUM Lituanorum meminit.

** Eius Codex MStus nunc Berolini est in manibus viri illius litteratissimi, Musisque Polonis amicissimi: qui, in BIBLIOTHECÆ THEOTISCÆ universalis, Voluminis XXIX, Parte I, DANIELIS ERNESTI WAGNERI, scriptoris luculenti, HISTORIAM POLONICAM, Theotisco sermone compositam, naviter et eruditè percensuit: nactaque hac occasione, Operis GRONDZKIANI mentionem p. 229 haud incommodè intexuit.

LII.

✠ IOANNES GRODECIUS Polonus generosi sanguinis, fortunae tamen inops: supremi Poloniae Cancellarii, IOANNIS OCIESCII, auspiciis impendiisque: Italicis in Gymnasiis, Graecarum atque Latinarum, ele-

elegantiorumque omnium litterarum ſtudia, tractavit diligentiſſimè. In Urbe Roma inſinuavit ſeſe ad STANISLAUM Cardinalem HOSIUM, Epiſcopum Varmienſem. Cui deinceps Viennae Auſtriae in Legatione Apoſtolica, Tridentique in Concilio Oecumenico, ſcribendis Epiſtolis Latinis, bonam operam navavit. Dignumque à Cardinali illo praemium, Cathedralem Varmiae Canonicatum, reportavit. Ipſiusque commendatione, Glogovienſis Eccleſiae Collegiatae Decanus, atque Vratiſlavienſis Canonicus Cathedralis, creatus fuit.

Hic, ille eſt GRODECIUS, qui DIVI CYRILLI HIEROSOLYMORUM ARCHIEPISCOPI CATECHESES XXIII, è Graeco * ſermone in Latinum tranſtulit: adhibita interpretatione Slavonica **, à IACOBO UCHANIO, Archiepiſcopo Gneſnenſi Regnique Poloniae Primate, ſibi conceſſa.

* Uſus eſt Graeco illo codice, quem Cardinalis HOSIUS, ab Apoſtolico Bibliothecario, GVILELMO Cardinali SIRLETO impetraverat.

** Cuius exemplaria vetuſta, UCHANIUS Archipraeſul eruditiſſimus, ſacraeque antiquitatis inprimis ſtudioſus, à Macedonia et Bulgaria fuerat nactus.

Exſtant GRODECIANÆ tranſlationis Editiones complurimae. Quas nunc enumerare, in hac infirmitate *** tanta, nequeo. Prima,

Prima, omniumque rariſſima ****, imperfecta ***** tamen eſt: quae Viennae Auſtriae, in aedibus Collegii Caeſarii Societatis IESU, anno Salutis MDLX, forma 4, additis Lectionibus Graecis, prodiit. Praefixa ei eſt GRODECII interpretis, ad OCIESCIUM Maecenatem ſuum, Epiſtola: quae, in Editionibus ſubſecutis omnibus, omiſſa fuit.

*** Deſtitutus enim ſum adminiculatore, rerum talium gnaro ac curioſo. Id autem, quam taedioſum mihi ſit atque moleſtum, verbis nullis poteſt à me exprimi.

**** Quam THOMAS MILLES atque ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTE'E, operum Divi CYRILLI editores litteratiſſimi: IOANNESque ALBERTUS FABRICIUS, BIBLIOTHECÆ GRÆCÆ ſcriptor laborioſiſſimus: in Angliae atque Galliae, Germaniaeque Bibliothecis inſtructiſſimis, fruſtra quaeſiverunt. ZALUSCIUS Praeſul eam Pragae, à Societatis IESU Collegii CLEMENTINI Sacerdotibus, obtinuit.

***** Solas MYSTAGOGICAS CATECHESES QUINQUE exhibet.

Illae quidem Editiones verſionis GRODECIANÆ excellunt maxime: quas, IOANNES PREVOTIUS † Burdegalenſis, IACOBI Cardinalis PERRONII in Legatione Romana familiaris, Pariſiis apud CLAUDIUM MORELLUM MDCVIII, forma 4 maiori: THOMASque MILLES, S. Theologiae Baccalaureus ex ÆDE CHRISTI Oxoniae, in Theatro SHELDONIANO, impenſis RICHARDI SARE Bibliopolae Londinenſis, MDCCIII,

foliis

foliis integris: cum Divi CYRILLI Scriptis reliquis, Graecè et Latinè adornarunt. ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTE'E, Presbyter et Monachus Benedictinus è Congregatione S. MAURI: Operum Divi CYRILLI editor et interpres: GRODECII translationem haud mediocriter †† laudavit. „Nonnulla etiam, quae à GRODECIO rectè fuerint posita, in propria sua interpretatione se retinuisse," TOUTTE'E ipse apertè ingenuèque confessus ††† est.

† Qui tamen GRODECII versionem successu impari emendavit.

†† In Praefationis, quam Divi CYRILLI Operum omnium Editioni, Lutetiae Parisiorum in typographeo IACOBE VINCENT, MDCCXX, folio maiori, cura sua et diligentia summa apparatae, praeposuit, Sectione VIII et IX.

††† In Praefationis citatae Sectione XVIII.

GASPAR NIESIECIUS ‡, Societatis IESU Provinciae Polonae scriptor gravis, cum IOANNE GRODECIO nostrate, IOANNEM GRODECIUM ‡ Gente Silesium, Brunensis primùm Ecclesiae Collegiatae Praepositum, et deinde Cathedralem Scholasticum, extremòque Pontificem Olomucensem, confudit: inque errorem suum, Reipublicae Polonae ac Litterariae viros principes, IOSEPHUM ALEXANDRUM IABLONOVIUM †* Palatinum Novogrodensem, IOSEPHUMque ANDREAM ZALUSCIUM †** Kioviensem Antistitem, pertraxit.

‡ In

‡ In operis Genealogici, idiomate Polonico evulgati, Tomo II, p. 310.

‡ Cuius, BARTHOLOMÆUS PAPROCIUS, Eques Polonus, in SPECULO MARCHIONATUS MORAVIÆ, lingua Bohemica publicato, fol. CLXXXIV a: IOANNESque SINAPIUS, Lignicensis Gymnasi Praefectus, in nobilissimi operis, DE CLARIS ET ILLUSTRIBUS SILESIÆ FAMILIIS, Theotisco sermone editi, Tomo II, p. 650: et FRANCISCUS SCHMIDL, Societ. IESU Prov. Bohem. Sacerdos, in HISTORIÆ SOCIETATIS IESU, PROVINCIÆ BOHEMIÆ, Parte I, p. 311, et 330, et 347, accuratiùs meminerunt.

†* Legas eius MUSEUM POLONUM, Leopoli typis Collegii Societatis IESU, MDCCLII, forma 4 excusum, p. 71 sq.

†** Huius inspicias, AUCTORUM POLONICORUM INDICIS, propria manu sua conscripti, Tomum III, p. 380.

Ab Heroë utroque, IOANNES GRODECIUS Polonus, Divi CYRILLI interpres, sub persona Olomucensis Episcopi, est introductus.

LIII.

†VENCESLAUS GRODECIUS *, Eques Polonus eiusdem generis, primus omnium, Poloniam aevi cultioris, tabula geographica repraesentavit. Prodiit ea Basileae, ex officina IOANNIS OPORINI, Typographi politissimi atque eruditissimi, anni MDLVIII initio, folii magnitudine: apposita PHILIPPI MELANCHTHONIS coniectura, de Gentis Polonorum origine. Estque haec editio, incredibilem in modum, rara. Tabula quidem ipsa, sine coniectura MELANCHTHONIS, ab ABRAHAMO ORTELIO,

TELIO, Regis Hiſpaniarum PHILIPPI Secundi Geographo, in THEATRO ORBIS TERRARUM: quod Antverpiae, anno MDLXX, foliis integris exiit: eſt repetita. Praefixaque deinde eſt: MARTINI CROMERI, VARMIENSIS EPISCOPI, POLONIÆ editioni optimae, rariùsque hodiè obviae. Quae Coloniae Agrippinae, in officina BIRCKMANNICA, anno MDLXXXIX, folio maiori hanc lucem adſpexit.

* Diſcernendus à VENCESLAO GRODECIO Sileſio, IOANNIS Olomucenſis Praeſulis fratre germano, Brunenſis Eccleſiae Collegiatae Decano, Olomucenſique atque Vratiſlavienſi Canonico Cathedrali. De quo FRANCISCUS SCHMIDL, in HISTORIÆ SOCIETATIS IESU, PROVINCIÆ BOHEMIÆ, Parte I, p. 311, 330, 347, 413, 611 ſq., mentionem fecit.

ANDREAS } SAMUEL } GRONDZKI, vide GRĄDZKI.

LIV.

✠ ANDREAS GRUTINIUS Pilſnenſis Polonus, Cracovienſi in Academia medendi artem, ſumma nominis celebritate, docuit. Poloniaeque atque Lituaniae Senatoribus, Miniſtrisque, aetate ſua praecipuis: ANDREÆ nempè Comiti TENCINIO Palatino Cracovienſi, et IOANNI TARNOVIO Re-

gni Procancellario, NICOLAOque CHRISTOPHORO Principi RADIVILIO Trocensi Palatino, atque LEONI Comiti SAPIEHÆ Magni Ducatus Lituanici Cancellario supremo, amore litterarum et litteratorum hominum inclytissimis: à curanda et tuenda valetudine fuit. Exstant, in ZALUSCIANO museo publico, Scripta haec elegantissima, rarissimaque:

I.) CONSILIUM IN FEBRIBUS PESTILENTIBUS ET MALIGNIS, his temporibus Cracoviae, et aliis in locis grassantibus, ANDREÆ GRUTINII, Philosophiae et Medicinae Doctoris. *CRACOVIÆ*, in Officina LAZARI. Anno Domini, 1592. 4.

II.) MELANCHOLIÆ, seu Affectuum Melancholicorum mirabilium, et curatu difficilium, compendiosa Descriptio, ab ANDREA GRUTINIO Pilsnensi, Medico et Professore Academiae Cracoviensis, edita. *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII. Anno Domini, 1597. 4.

III.) MEDICUS DOGMATICUS, ab ANDREA GRUTINIO Pilsnensi, Philosophiae et Medicinae Doctore atque Professore, compendiose pro Tyronibus adumbratus. *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII. Anno Domini, 1598. 4.

LV.

✠ GUIDO Gallus, patria Burgundus, Monachus et Abbas Ciſtercii: dum in Curia Romana ordinis ſui negotiis ipſe invigilaret: ab URBANO IV Pontifice Maximo, in numerum Cardinalium Presbyterorum, titulo S. LAURENTII in Lucina, eſt * cooptatus.

* Id memoriae eſt traditum, in ALPHONSI CIACONII VITIS ET REBUS GESTIS PONTIFICUM ROMANORUM ET S. R. E. CARDINALIUM: AUGUSTINI OLDOINI ſtudio adauctis: Tomo II, ſub anno MCCLXI, p. 161.

GUIDO idem Cardinalis, anno Salutis MCCLXVII, S. Sedis Apoſtolicae de latere Legatus, à CLEMENTE IV in Poloniam miſſus: Cracoviam quinto Idus Iulii advenit: honore debito, à BOLESLAO PUDICO Cracovienſi et Sandomirienſi Duce, atque à PAULO PRZEMANKOVIO Urbis Cracoviae Pontifice, exceptus **.

** Memorante IOANNE DLUGOSSO, in ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, ſub anno MCCLXVII, p. 781, ſq. BASCO, ſcriptor diligens GUIDONIque aequalis, hanc legationem prorſus tacuit.

E Cracovia, anni inſequentis initio, Vratiſlaviam *** Sileſiae Urbem primariam, Gneſnenſi tunc Provinciae Metropo-

litanae iniunctam, divertit: ubi, in festo Purificationis B. MARIÆ Virginis, Synodum Provincialem habuit; IANUSSIO TARNAVIO Archiepiscopo Gnesnensi, PAULO PRZEMANKOVIO memorato illo Cracoviensi Pontifice, THOMA KOZLAROGO Vratislaviensi, VOLIMIRO POBOG Vladislaviensi, NICOLAO LIS Posnaniensi, THOMA PRUS Plocensi, WILHELMO WIENIAVIO Lubussensi, HENRICO Culmensi, aliisque Regni Polonici Episcopis praesentibus.

*** Sic rectè habet DLUGOSSI Codex SALUSCIANUS, manu vetusta exaratus. Editio Lipsiae excusa, illius Synodi locum, Vladislaviam, Episcopalem in Cuiavia sedem, perperàm nominat.

CONSTITUCIONES DOMINI GUIDONIS, miseracione diuina sancti laurencii in lucina presbyteri Cardinalis, apostolice sedis Legati in prouinciam Polonie: Vratislaviensi in Synodo Provinciali sancitas: IAROSLAUS BOGORIUS, Gnesnensis Archipraesul, in SYNODICON **** ECCLESIARUM POLONIE, p. 30—36, intulit.

**** ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, folio parvo, sub numero CCLXXV, collocatum.

LVI.

+HUGO *, S. R. E. Cardinalis: INNOCENTIIque IV Romani Pontificis

tificis Maximi, per univerſam Germaniam atque Poloniam, Legatus: Vratislaviae, anno MCCLIII, poſt Dominicam Laetare, in Eccleſia S. IOANNIS BAPTISTÆ, Synodum celebravit. Cui, FULCO Archiepiſcopus Gneſnenſis, unà cum Epiſcopis et Clero Provinciae ſuae, affuit. Eius Synodi Decreta: cura HIERONYMI Comitis à ROZDRAZOW, Vratiſlavienſis Praepoſiti Cathedralis **, è volumine autographo Cathedralis ibidem Tabularii, deſcripta: Vladislaviae in Tabulario Cathedrali ſervari: Kiovienſis Epiſcopus, IOSEPHUS ANDREAS Comes ZALUSCIUS, in CODICUM MSStorum, alienis in Bibliothecis à ſe ipſo inventorum ac perlectorum, INDICE, p. 52.ª, nos certiores fecit.

* De quo, ſaeculi illius hiſtoricus, GODISLAUS BASCO, in CHRONICO POLONIÆ, Edit. SOMMERSB. p. 65, ZALUSC. p. 133, IOANNES autem DLUGOSSUS in ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, ſub anno MCCLIII, p. 732 ſq., inque VITIS EPISCOPORUM POSNANIENSIUM, p. 46, mentionem injecerunt.

** Qui poſtea ad Vladiſlavienſem in Polonia Epiſcopatum à STEPHANO BATHOREO Rege evectus, Bibliothecam ſuam Cathedrali Eccleſiae Vladiſlavienſi donavit.

LVII.

+IACOBUS *, Leodienſis Archidiaconus: Pontificius Capellanus ab IN-

NOCENTIO IV factus: ab eoque, è primo Concilio Lugdunensi generali, ad Polonos, Prussosque, atque Pomeranos missus fuit. Isque, anno CHRISTI MCCXLVIII, primus omnium, ut Apostolicae Sedis Nuncius, Gnesnensis Provinciae Metropolitanae Synodum, in Urbe Vratislavia, instituit. Ad quam, FULCO Archiepiscopus Gnesnensis, eiusque Suffraganei, THOMAS Vratislaviensis, BOGUPHALUS Posnaniensis, PRANDOTA Cracoviensis, MICHAEL Vladislaviensis, PETRUS Plocensis, NANKERUS Lubussensis, et HENRICUS ** Culmensis, Episcopi *** convenerunt. STATUTA huiusce Synodi, IOANNEM DLUGOSSUM, Canonicum Cracoviensem, habuisse: eaque, unà cum reliquis Codicibus MSStis suis, in Collegii Academici Jurisperitorum, Cracoviae à se conditi, Bibliothecam intulisse: Kioviae Antistes, IOSEPHUS ANDREAS Comes ZALUSCIUS, in CODICUM MANUSCRIPTORUM, alienis in Bibliothecis à se ipso visorum et perlectorum, INDICE ALTERO, p. 12, nos docuit. Legas quaeso attente examinesque diligenter, de Synodo illa memoratissima: BOGUPHALI Episcopi Posnaniensis, qui huic Synodo ipse interfuit, CHRONICON POLONIÆ, à SOMMERSBERGIO Equite in lucem eductum, p. 63, rursùsque à ZALUSCIO Praesule emissum, p. 126;

126: IOANNIS DLUGOSSI, Canonici Cracoviensis, ANNALES REGNI POLONIÆ, sub anno MCCXLVIII, p. 709 sq.: MATHIÆ de MIECHOVIA, Cracoviensis item Canonici, CHRONICON POLONORUM, Cracoviae seorsim editum, p. 156 sq., Basileaeque, in PISTORIANI CORPORIS HISTORIÆ POLONICÆ Tomo Secundo recusum, p. 108: MARTINI CROMERI, Pontificis Varmiensis, Opera Historica Coloniae Agrippinae promulgata, p. 152 b: NICOLAI HENELII, Inclytae Urbis Vratislaviensis olim Syndici, ANNALES SILESIÆ, à SOMMERSBERGIO Equite foràs prolatos, p. 253: ABRAHAMI BZOVII Poloni, Ord. Praedic. ANNALIUM ECCLESIASTICORUM, post CÆSAREM Cardinalem BARONIUM continuatorum, Tomum XIII, sub anno MCCXLVII, n. V, p. 535: ODORICIque RAYNALDI Tarvisini, Congreg. Orat. continuatorum post eundem Cardinalem ANNALIUM ECCLESIASTICORUM Tomum XIII, sub anno MCCXLVIII, n. XLIX, p. 590 a: SIMONIS STAROVOLSCII, Canonici Cracoviensis, atque Primicerii Tarnoviensis, EPITOMEN CONCILIORUM, TAM GENERALIUM, QUAM PROVINCIALIUM, p. 329: ac denique, PHILIPPI LABBEI et GABRIELIS COSSARTII, IOANNISque HARDUINI, è Societate IESU Presbyterorum, CONCILIORUM COLLECTIONIS

ONIS REGIÆ MAXIMÆ PARISIENSIS Tomum VII, p. 429 ſq.

* Is IACOBUS, obitis Legationibus plurimis, graviſſimisque et difficillimis, ab ALEXANDRO IV Pontifice Maximo, Hieroſolymitanus Patriarcha eſt renunciatus. ALEXANDRO deinde mortuo: IACOBUS ille ipſe, ob egregias virtutes, actionesque ſuas, concordia admirabili à Romanae Eccleſiae Patribus in Solio Pontificio collocatus, aſſumto URBANI IV nomine, Rempublicam Chriſtianam providè rexit. De quo conſideratius ea legas, quae in ODORICI RAYNALDI, Annalium Eccleſiaſticorum, Geſtorumque Pontificiorum ſcriptoris probatiſſimi, Tomo XIII atque XIV, ſub IACOBI Archidiaconi Leodienſis nomine, et ſub URBANI IV Pontificis Maximi appellatione, indicantur.

** Primus Praeſul illius regionis: antè Abbas Ordinis Ciſtercienſis: notante BOGUPHALO Epiſcopo Poſnanienſi, l. c.

*** Quos ordine eo nominavimus, quo BOGUPHALUS Poſnanienſis Antiſtes illos recenſuit.

IACOBUS DE PARADISO Polonus, Monachus Ciſtercienſis, Auctor Eccleſiaſticus ſaeculi XV: vide IACOBUS DE PARADISO.

LVIII.

CLEMENS IANICIVS, Poëtarum omnium Latinorum, qui SIGISMVNDI SENIORIS regnum exornarunt, longè princeps, inter amicos familiariſſimos, ANDREAM CROMERVM: MARTINI, Polonicarum rerum auctoris praeſtan-

praeſtantiſſimi, fratrem germanum atque alumnum: juvenem impenſè doctum, elegantiaque ingenii et carminis nitore, eruditis viris omnibus conciliatum: tanta proſecutus eſt benevolentia, ut in ſecretioribus CRICII Poloniae Primatis coenis, cum CROMERO illo maximè, verſiculis jocularibus concertaret.

Kievienſium Antiſtes, ZALVSCIVS MAXIMVS, cum de exilio quinquennali, libris ſummè onuſtus, rediret: VITAS REGVM POLONORVM, ELEGIACO CARMINE A CLEMENTE IANITIO POLONO, POETA LAVREATO, DESCRIPTAS. CRACOVIÆque EX OFFICINA FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. TYPOGR. ANNO DOMINI MDÇXXXIV. forma 8 proditas, apportavit. Comtae huius Editionis curam, politiſſimus adoleſcens, IOANNES CÆSARIVS, Typographi ſpectatiſſimi filius, habuit: poſteriorem SCHARFFENBERGII Editionem ſecutus. Omiſſus quidem à CÆSARIO eſt, IANICII ipſius: DIALOGVS INTER IAGELLONEM REGEM ET STANISLAVM MOROSOPHVM, DE POLONICI VESTITVS VARIETATE ET INCONSTANTIA: Elegis compoſitus. Qui priori cuique Editioni adjectus fuit. Editioni autem

huic à CÆSARIO ſubjuncta eſt bellula ELEGIA: qua IANICIVS Patavii, febri quartana jactatus, Divam Virginem MARIAM precabatur, ut tolerantiam ſibi, fortemque animum impetraret.

Mortuo ZALVSCIO, Epiſcopo Kiovienſi, Muſagetaque Polonorum incomparabili, in ſecretiſſimo ipſius muſeo reperta à me eſt: QVERELA * REIPVBLICÆ REGNI POLONIÆ. Elegis conſcripta. CLEMENTE IANICIO AVTORE. ANNO MDXXXVIII. Aevo autem, ut puto ego, recentiori: ſine loci indicio, in apertum producta. forma 4.

* Eſt Satyra, in maximum ſed turbulentiſſimum conventum, à Nobilitate Polona apud urbem Leopolim, MDXXXVII, agitatum: in quo enarrando, STANISLAVS ORICHOVIVS totum Annalem Sextum inſumſit.

LIX.

IOANNES Bregenſis: auctor CHRONICI POLONICI AC SILESIACI: vide BREGENSIS.

IOANNES Gneſnenſis Archidiaconus Metropolitanus: ſcriptor CHRONICI POLONIÆ: CASIMIRI MAGNI atque LVDOVICI temporibus floruit. Carusque et gratus CASIMIRO MAGNO: mori-

moribundo ipſi adſtitit. Cum IAROSLAO BOGORIO Archiepiſcopo Gneſnenſi, prudentiae atque magnanimitatis laude celeberrimo, familiariſſimè vixit. In enarranda hiſtoria patriae ſuae, à MIECISLAO I, usque ad LESCONEM NIGRVM, IOANNES ille Archidiaconus brevis eſt. Tempora inſecuta memorat copioſiùs. De CASIMIRI MAGNI glorioſo principatu: de eius vita et moribus: deque ipſius obitu, atque funeris exequiis, plura perſequitur. In exponendo LVDOVICI regno foedo: ſubſecutoque ipſius mortem bello Polonorum inteſtino: diligentiſſimus eſt, liberrimusque, atque fidiſſimus. Finit regni VLADISLAI IAGELLONIS exordio. Quibus à maioribus, IOANNES hicce, Archidiaconus Gneſnenſis, fuerit ortus? quis dies vitae ipſi fuerit ſupremus? nobis haud conſtat. Servatur eius CHRONICON, ZALVSCIANOS inter Codices manuſcriptos, BOGVPHALI Poſnanienſis Epiſcopi atque BASCONIS Cuſtodis operi, adiunctum. Publicam in lucem, anno MDCCXXX, à doctiſſimo Esquite Sileſio, FRIDERICO WILHELMO DE SOMMERSBERG, inter SILESIACARVM RERVM SCRIPTORES, Tomo II. p. 78 — 155 fuit *eductum.

* E Codice vitioſo et mutilo. Secundum quem, opus illud BREVIOR CHRONICA CRACOVIÆ falſò inſcribitur. Quo, non Vrbis atque Epiſcopatus Cracovienſis, ſed Regni totius, Regumque omnium Poloniae hiſtoria, eſt comprehenſa.

LX.

✠ SIGISMVNDVS KAZANOWSKI, Nobilis Polonus, apud VLADISLAVM, Poloniae ac Sueciae Regium adhuc Principem, electumque Moſcoviae Magnum Ducem, cubiculi ſecretioris praefecturam geſſit. Quem deinceps VLADISLAVS, Regali in ſolio collocatus, Regni Poloniae Archicamerarium conſtituit. ZALVSCIANA in Bibliotheca publica, exſtat liber parvus, ſummè autem rarus, cui is titulus: RES GESTÆ SIGISMVNDI TERTII, POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS, MAGNIQVE DVCIS LITVANIÆ; VLADISLAO, POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPI DICATÆ. Qui, à SIGISMVNDO illo KAZANOVIO, confectus fuit. Deſunt, in eo libello, forma 4 excuſo, typographi ac loci, temporisque ſigna. Hunece KAZANOVIVM Varſaviae, die XIII Auguſti, anno CHRISTI MDCXXXIV, aetatis ſuae LXXI, vitam cum morte commutaſſe: didicimus è SIMONIS STAROVOLSCII MONVMENTIS SARMATARVM, p. 261.

LXI.

✝ PETRUS KMITA, Palatinus atque Praefectus generalis Cracovienſis: idemque Mareſchalcus Regni ſupremus: inter Maecenates Poloniae principes maximo iure numeratur. Namque ille CLEMENTEM IANICIUM, poëtam genere Elegiaco omnium nobiliſſimum: SIMONEMque MARICIUM, rhetorem ſummum: in Gymnaſio Patavino liberaliter aluit. STANISLAUM autem ORICHOVIUM, oratorem atque hiſtoricum eminentiſſimum: IACOBUMque PRILUSIUM, iurisconſultum temporibus ſuis praecipuum: domi ſuae impenſè fovit. MARTINUM BIELSCIUM, Chronicorum gravem ſcriptorem, donis frequentibus, iisque magnificis honoravit. Studioſos iuvenes, rerum cunctarum egenos, eleemoſynis grandibus ſublevavit. Incitamento MARICII, Cracovienſis Academici Collegii Maioris Bibliothecam, auctoribus Graecis Latinisque optimis adauxit. Mortuus KMITA Heros eſt pridie Kalendas Novembris, anno Salutis humanae MDLIII, aetatis ſuae LXXVI. Vita eius, ab auctore ignoto, pari diligentia ac libertate ſcripta: STANISLAI ORICHOVII ANNALIBUS, in Editione Dobromilenſi p. 266—314, in Gedanenſi p. 213—250, inque Lipſienſi p. 1607—1631, acceſſit.

KMI-

KMITA ille, aetate florente: cum Regiae adhuc Curiae Mareſchalcus eſſet: miſſus fuit à SIGISMUNDO I Rege Polonorum, ad CAROLUM V Romanorum Imperatorem, et ad reliquos Germaniae Principes potentiores, ut ab iis, LUDOVICO II Regi Hungariae atque Bohemiae, contra SOLIMANNUM II Turcarum Caeſarem, ſuppetias celeres impetraret. Legationis illius commentarius, à STANISLAO GORSCIO illatus eſt, in SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM Tomum VI, fol. 31.a — 35.a, et fol. 51.a — 55.a.

Praeclara ea Oratio, quam PETRUS KMITA, Cracovienſis Palatini dignitate iam praeditus, in generali conventu turbulentiſſimo, Leopoli Roxolanorum urbe primaria MDXXXVII agitato, ad Ordinem Equeſtrem Latinè, ut tunc moris erat, habuit: STANISLAI ORICHOVII ANNALI Sexto, Edit. Dobromilen. p. 196—203: Gedanen. p. 163---168: Lipſien. p. 1581---1584, inſerta, ad nos pervenit.

LXII.

✠ ALBERTUS WIIUK KOIALOWICZ, Societatis IESU Provinciae Lituanae Pres-

Presbyter: Lituanaeque Gentis LIVIUS: iam ſenex Vilnae eam Domum, quam Profeſſam vocabant, annis MDCLXII-MDCLXVI, ut Praepoſitus rexit. Hoc IOANNES POSZAKOVIUS, in HISTORICO SOCIETATIS IESU KALENDARIO MAIORI, vernacula lingua emiſſo, p. 310, nobis ſignificavit. Quando autem KOIALOWICIUS, vir tam benè de patria ſua, deque Litteraria Republica meritus, diem ſupremum obierit: ſcriptor nullus accurate * annotavit.

* GASPAR quidem NIESIECIUS, diligentia ac fide maximè nobis probatus, in Genealogici Operis ſui Tomo II, p. 554, ALBERTUM WIIUK KOIALOWICZ, anno MDCLXXIV, vita functum, ait; ſed eum, cum ipſius fratre germano, CASIMIRO, Societatis IESU Polocenſis Collegii Rectore, rhetoricis ſcriptis notiſſimo, anno illo morte exſtincto, confundit. BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM SOCIETATIS IESU, Romae MDCLXXVI divulgatae, exemplari: quod Vilnae in Bibliotheca Collegii Societatis IESU Academici aſſervabatur: p. 18 b ALBERTI WIIUK KOIALOWICII elogio, in margine, aevi ſuperioris manu ignota, verba haec erant adſcripta: „vir ille doctus „atque operoſus, Vilnae in Domo Profeſſa, curis vi„giliisque religioſis ac litterariis confectus, placide „obdormivit anno Domini MDCLXXVII, die VI „Octob. Ætatis anno LXVIII vix inchoato.“ Eadem ferè Comes ZALUSCIUS, Epiſcopus Kiovienſis, BIBLIOTHECÆ POLONÆ ſuae мstae Tomo I, p. 526, de ALBERTI eiusdem KOIALOWICII tempore fatali, inſperſit.

Edita ALBERTI KOIALOWICII Opera, tàm bonitatè, quàm raritate notabiliora, haec ſunt:

1.) HISTORIÆ LITUANÆ PARS PRIOR: de rebus Lituanorum, ante ſuſceptam Chriſtianam Religionem,

gionem, coniunctionemque Magni Lituaniae Ducatus cum Regno Poloniae, Libri novem. Auctore P. ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, Soc. IESU, S. Th. D. *DANTISCI*, sumptibus GEORGII FÖRSTERI, Bibliopolae S. R. M. Anno 1650. 4.

II.) HISTORIÆ LITUANÆ PARS ALTERA: seu, de rebus Lituanorum, à coniunctione Magni Ducatus cum Regno Poloniae, ad unionem eorum Dominiorum, Libri octo. Auctore ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, Societatis IESU, S. Theologiae Doctore. *ANTVERPIÆ*, apud IACOBUM MEURSIUM, Anno MDCLXIX. 4.

III.) MISCELLANEA RERUM, ad Statum Ecclesiasticum in Magno Lituaniae Ducatu pertinentium. Collecta ab ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, Societ. IESU, S. Theol. Doct. Almae Universitatis Vilnensis Procancellario, et Ordinario S. Theologiae Professore. Vulgata Superiorum permissu. *VILNÆ*, typis Academicis. Anno Domini MDCL. 4.

IV.) DE REBUS, Anno 1648, et 1649, contra ZAPOROVIOS COSACOS gestis: ALBERTUS WIIUK KOIALOWICZ, S.I.S. Theol. Doct. *VILNÆ*, typis Academicis. Superiorum permissu. MDCLI. 4.

Editus est REGIOMONTI MDCLIII, forma 12: ELBINGÆque MDCLV, forma 4, iterùm promulgatus: RERUM in MAGNO DUCATU LITUANIÆ per tempus REBELLIONIS RUSSICÆ, gestarum COMMENTARIUS elegans et accuratus, auctoris sui nomine dissimulato. Quem DAVID BRAUN, in CATALOGO CRITICO SCRIPTORUM POLONIÆ

ET PRUSSIÆ, p. 165 ſq., cum KOIALOWICII opere permiſcet et confundit.

v.) FASTI RADIVILIANI, geſta Illuſtriſſimae Domus Ducum RADIWIŁ compendio continentes. Auctore ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, Societ. IESU, Sacrae Theologiae Doctore, eiusdemque in Univerſitate Vilnenſi Ordinario Profeſſore. *VILNÆ*, typis Academicis Soc. IESU. Anno CHRISTI MDCLIII. 4.

KOIALOWICII huiusce Scripta reliqua, typis excuſa, è PHILIPPI ALEGAMBE atque NATHANAELIS SOTVELLI BIBLIOTHECA SCRIPTORUM SOCIETATIS IESU, p. 19 a **, cognoſces. In qua tamen omiſſae ſunt: quae KOIALOWICIO iſthuic omninò debentur:

GRATIÆ SÆCULARES, Summis Pontificibus, Regibus, Praeſulibus, et Protectoribus Societatis IESU, in Magno Ducatu Lituaniae, ab Alma Academia et Univerſitate Vilnenſi eiusdem Societatis exhibitae: atque Illuſtriſſimo Principi D.D. ALBERTO STANISLAO RADIVILO, M. D. L. Cancellario, gratitudinis ergò oblatae. *VILNÆ*. Anno 1640, Societatis centeſimò. 4.

** Unde Princeps IABLONOVIUS, Palatinus Novogrodenſis, omnia hauſit: quae, in MUSEO POLONO, p. 113 ſq., de KOIALOWICII illius Scriptis, protulit.

Addenda à nobis adhuc ſunt: quae lucem nondum adſpexerunt, neque ipſis Societa-

cietatis IESU Bibliothecariis innotuerunt. Videlicet:

I.) FASTI CHODKIEVICIANI, Opus deperditum. De quo, in hoc volumine, ſub Numero XXIII, ſatis expoſuimus.

II.) De RADIVILORUM atque CHODKIEVICIORUM aemulationibus, Liber ſingularis: à Proceribus Societatis IESU ſtudioſiſſimè ſuppreſſus.

III.) FASTORUM SAPIEHANORUM Fragmentum, forma 4: SAPIEHANA in Bibliotheca, quae Vilnae eſt, ad aetatem noſtram aſſervatum.

IV.) Genealogicum Opus, ſic inſcriptum: DIVINIS ANGELIS Lituaniae Cuſtodibus, et Sanctis eiusdem Patronis ſacer: NOMENCLATOR Familiarum et Stemmatum Magni Ducatus Lituaniae, et Provinciarum ad eum pertinentium: collectus, et in ordinem digeſtus, opera diuturna P. ALBERTI WIIUK KOIALOWICZ, Soc. IESU, S. Th. Doct. eiusdemque in Alma Univerſitate Vilnenſi olim Ordinarii Profeſſoris. Folii magnitudine.

Operis huius memoratiſſimi bina exſtant Autographa. Unum: nondum perfectum: Kioviae Antiſtiti, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALUSCIO, poſt Moſcicam captivitatem, Urbem Vilnam tranſeunti, à Societatis IESU Provinciae Lituanae Proceribus, dono fuit oblatum. Alterum: abſolutiſſimum atque expolitiſſimum: oppreſſo iam ipſo Societatis IESU Inſtituto, doctiſſimo Pontifici Vilnenſi, iuvandisque Muſis Lituanicis genito, Principi IGNATIO MASSALSCIO, ceſſit. Eius paginae priori KOIALOWICIUS, propria manu ſua, verba illa appoſuit: „Incepi ſcribere 1648 Vilnae; deſcribere coepi 1658 „Breſtiae

„Brestiae mense Martio; Describere finivi Sloni-„mi 1658, Sept. 10, ante prandium.

Operis eiusdem exemplar tertium: ex autographo perfecto descriptum: Vilnae in Bibliotheca SAPIEHANA reperitur.

Princeps IABLONOVIUS, in MUSEO POLONO p. 115, Opus MS in folio, de Familiis Magni Ducatus Lituaniae, et earum Insignibus, CASIMIRO KOIALOWICIO perperàm attribuit: idque Vilnae imprimi coeptum, postea autem R. P. NIESIECII CORONÆ POLONICÆ insertum, falsò memoriae mandavit.

V.) SUPPLEMENTUM Scriptorum Societatis IESU, Prouinciae Lituanae, post editam BIBLIOTHECAM R. P. PHILIPPI ALEGAMBE, S. I.: collectum anno MDCLII per P. ALBERTUM WIIUK KOIALOWICZ, S. I. forma 4. Autographum, Instituto Societatis IESU exstincto, ad Smolenscensem Episcopum Coadiutorem, ADAMUM Comitem NARUSSEWICIUM, vatem illum, historicumque, atque litteratorem illustrem, pervenit. Qui in publicam Bibliothecam ZALUSCIANAM id intulit.

LXIII.

✝ PETRUS WIIUK KOIALOWICZ: ALBERTI frater germanus, natu minimus: Societatisque IESU, eadem in Provincia, Sacerdos: Vilnensi in Academia rhetoricam primùm, et deinde logicam docuit. Exstant Vilnae in SAPIEHANA, Varsaviae-

que in ZALUSCIANA Bibliotheca: ELOGIA EPISCOPORUM VILNENSIUM, ad GEORGII TYSZKIEWICII Praeſulis * aetatem, à PETRO WIIUK KOIALOWICZ, Societ. IESU, conſcripta: et, ad MICHAELIS ZIENKOWICII Antiſtitis **, eiusque Coadiutoris ***, IOSEPHI Comitis SAPIEHÆ tempora, ab eiusdem Inſtituti Sacerdotibus diverſis ****, continuata: publicam tamen in lucem nunquam emiſſa. Forma 4 maiori.

* Creati MDCL.

** Renunciati MDCCXXX.

*** Deſignati MDCCXXXVII.

**** Quorum nomina ZALUSCIANUS Codex non exprimit.

LXIV.

PAVLVS KOSTKA, Civis oppidi Voynicenſis in Palatinatu Cracovienſi. Collecti ab eo: annoque MCCCCLXIII, ab ipſo perſcripti: Libri Legum Teutonicalium Iuris Magdeburgenſis. Nec non Statuta CAZIMIRI pro Terra Cracovienſi. Et Statuta Lancicienſis Terrae: Ducumque et Dominorum Terrae Mazovienſis. Folii magnitudine. inter ZALVSCIANOS Codices MSStos, ſub Numero CLXXIX, aſſervantur.

LXV.

✠ NICOLAVS KOTTWITZ *, iuris pontificii ac legum Doctor: Posnaniensisque Cathedralis Archidiaconus, et Gnesnensis Metropolitanus Canonicus: idemque Lowiciensis Ecclesiae Collegiatae Decanus: SBIGNEI OLESNICII, Gnesnensis Archiepiscopi atque Regni Poloniae Primatis, intimus fuit. Archipraesulis illius nomine, STATVTA SYNODALIA PRO TOTA PROUINCIA GNEZNENSI, mense Ianuario anni MCCCCLXXXV, Petricoviae conscripsit: quae lucem publicam nondum adspexerunt. Excerptam inde, Doctoris NICOLAI KOTTWICII Decisionem de Interdicto et Excommunicatione, ALEXANDER Rex Poloniae in Comitiis generalibus, Radomiae MDV celebratis, iussit Regni sui Statutis inseri. Quam, eiusdem Regis iussu, IOANNES LASCIVS, Magnus Poloniae Cancellarius, in COMMUNI INCLYTI REGNI POLONIAE PRIUILEGIO, fol. LXIX, b, — LXXIIII, a, promulgavit: ex eoque, temporibus nostris, STANISLAVS KONARSCIVS, Scholarum Piarum in Polonia Praepositus Provincialis, in LEGVM PATRIARVM Volumine I, p. 316---325 iterùm in medium attulit. Elegi amabiles: quibus KOTTWICIVS ille, Archiepiscopi atque Maecenatis sui, SBIGNEI OLESNICII, IV Nonas Februarii MCCCCXCIII

demortui, ſarcophagum exornavit: in SIMONIS STAROVOLSCII MONVMENTIS SARMATARVM p. 559, luci ſunt expoſiti.

* KOTTWICIORVM familia, ſaeculo XV atque XVI, in Polonia Maiori, maximèque in Terra Wſchowenſi, honoribus atque opibus admodùm floruit.

LXVI.

✠ WOLFGANGUS KOVACIOCIUS*, Tranſylvaniae Cancellarius, vir aevo ſuo doctiſſimus atque eloquentiſſimus, SIGISMUNDI BATHOREI Principis nomine: vivo adhuc, mortuoque ipſius patruo, STEPHANO BATHOREO Polonorum Rege: legationibus graviſſimis in Polonia functus eſt. Servatur Varſaviae in ZALUSCIANA Bibliotheca publica: WOLFGANGI KOVACIOCII, TRANSYLVANIÆ CANCELLARII, ILLUSTRISSIMIQUE PRINCIPIS TRANSYLVANIÆ ORATORIS, AD ORDINES EQUITUM, IN ELECTIONE NOVI REGIS, IN CONVENTU VARSAVIENSI HABITA ORATIO, ANNO MDLXXXVII, MENSIS AUGUSTI DIE XIV. Sine loci ac typographi indicio, forma 4, publicata. Quae ALEXIO HORANYIO **, Hungaro, ſcriptori gravi ac polito, laborioſoque, haud cognita ✝ fuit.

* Sic ipſe vocari Latinè voluit, prout adductae eius Orationis inſcriptio teſtatur. Sic etiam ab intimo amico ſuo, IOANNE MICHAELE BRUTO, STEPHANI BATHOREI Regis hiſtorico, in Selectis Epiſtolis, ad KOVACIOCIUM ipſum exaratis, dicitur. Sic praetereà à GE-

a GEORGIO CHIAKOR, quem STEPHANUS Rex Epiſtolis ad Hungaros ac Tranſylvanos ſcribendis praefecerat, Latina lingua ſalutatur. Qui ab HORANYIO, Hungarico ut opinor vocabulo, KOVA'SOTZI nominatur.

** Qui, in MEMORIA HUNGARORUM ET PROVINCIALIUM SCRIPTIS EDITIS NOTORUM, Tomo II, p. 433, de KOVACIOCIO noſtro verba fecit.

† Nec eius notitiam litteratiſſimus Tranſylvanus, GEORGIUS JEREMIAS HANERUS, habuit. Qui, in jucundiſſimis ADVERSARIIS, DE SCRIPTORIBUS RERUM HUNGARICARUM ET TRANSYLVANICARUM, p. 221 ſq., KOVACIOCII ſcripta fataque attigit.

LXVII.

† ANDREAS * de KUKURSINO, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Archidiaconus, ſacrarumque litterarum in Cracovienſi Academia profeſſor publicus: Tractatum super officio Misse contra nouos Bohemorum errores iussu reuerendissimi in Chriſto patris ac domini domini *Sbignei* episcopi Cracouien̄. anno MCCCCXXV die XIV aprilis finitum reliquit. Cuius autographum, ZALVSCIANOS inter Codices MSstos: folii magnitudine, ſub numero CXLVI: reperitur.

* Huius ANDREÆ mentionem fecit DLVGOSSVS, in ANNALIBVS REGNI POLONIÆ, ſub anno MCCCCXXI, p. 577.

LXVIII.

✠ IACOBUS KURDWANOWSKI, genere ortus nobilissimo, Albae Ecclesiae propè Cracoviam Parochus fuit. Quo sacerdotio spontè dimisso, studiorum causa Bononiam profectus est. Sacrorum ibi canonum Doctor renunciatus: famaque legalis doctrinae clarus, Romana in Curia Palatii Apostolici Auditor creatus fuit. Plocensem in Masovia Episcopatum, à BONIFACIO Nono, Pontifice Maximo, anno à CHRISTO nato MCCCXCIX, accepit. Quem, eodem adhuc anno, applaudente Praelatorum atque Canonicorum collegio, cleroque universo Plocensi, feliciter est ingressus. Singularia quaedam iucundaque de eo, STANISLAUS LUBIENSCIUS, Plocensis ipse Antistes, in VITIS EPISCOPORUM PLOCENSIUM, p. 120—124 narravit. Auctor autem ille tàm illustris, domesticaeque antiquitatis tàm peritus, IACOBI actiones Episcopales, relatu digniores, silentio praeteriit.

Annotari enim inprimis debuit: IACOBUM hunc, Episcopum Plocensem, Concilio universali Pisano MCCCCIX, Concilioque generali Constanciensi MCCCCXV, summa cum dignitate interfuisse; quemadmodum sacri utriusque Concilii Acta, COLLECTIONIS REGIÆ



GIÆ MAXIMÆ PARISIENSIS Tomo VIII inſerta, p. 108, et p. 311, tradiderunt. Memoriaeque mandari: IACOBI eiusdem Plocenſis Epiſcopi praeſentiam, Synodo Provinciali Caliſſienſi anni MCCCCXX, haud parum auctoritatis attuliſſe; ſicut iſtius Synodi Statuta, ſaeculis ſuperioribus toties excuſa, indicarunt. Poſteritati denique ſignificari: IACOBUM illum ipſum Praeſulem, die XXVI menſis Ianuarii, Chriſtianae Salutis anno MCCCCXXIII *, ſuae autem conſecrationis XXIV, Plociae in Eccleſia Cathedrali Dioeceſeos ſuae Synodum celebraviſſe. Quod CONSTITUTIONUM, in Synodo illa ſancitarum, membranaceum volumen ** antiquiſſimum, ipſumque ut ego opinor Protographum: ZALVSCIANOS inter Codices MSstos ſub numero CCLXXVII collocatum; nuperrimèque Sereniſſimi STANISLAI AVGVSTI Regis impenſa innovatum: aevo omni teſtabitur.

* Sic CONSTITUTIONUM KURDWANOVIANARUM codex veterrimus habet. Unde emendari omninò oportet errorem, à ZALUSCIO Antiſtite, in CONSPECTU EDENDI SYNODICI POLONIÆ ORTHODOXÆ, p. 12, commiſſum: à meque ipſo, in SPECIMINE CATALOGI CODICUM MANUSCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ ZALUSCIANÆ, p. 26, iteratum. In opere enim utroque, commemoratis à nobis KURDWANOVII Epiſcopi CONSTITUTIONIBUS, annus MCCCXCVIII, atque dies VIII menſis Septembris, perperàm adſcripti ſunt.

** Parvis foliis integris contextum.



IACOBUS iſte Epiſcopus, plenus annis, plenusque meritis, ut LUBIENSCIUS Antiſtes probè iudicat, Plociae in Curia Epiſcopali, die XXVII menſis Maii, anno CHRISTI MCCCCXXV, deceſſit.

MARTINUS KWIATKOWSKI, vide QWIATKOWSKI.

LXIX.

LADISLAVS POLONVS Typographus, ſaeculo decimo quinto ferè exeunte, operam Hiſpanis locavit. Memoratur à MICHAELE MAITTAIRE, in ANNALIVM TYPOGRAPHICORVM, Tomi I, Parte II, p. 537: ALFONSI PALENTINI hiſtoriographi opus de Synonymis. Impreſſum HISPALI per MEYNARDUM UNGUT Alemanum et LADISLAUM POLONUM ſocios. Anno incarnationis dominice Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo: die uero uigeſima quarta menſis Nouembris. folii magnitudine. Editio illa, Hiſpanorum polyhiſtori illuſtri, NICOLAO ANTONIO * Hiſpalenſi, cognita haud fuit.

* Qui, in BIBLIOTHECÆ HISPANÆ VETERIS Tomo II. p. 216 — 219, de ALFONSI Palentini vita, ſcriptisque, praeclarè diſſeruit.

LXX.

✠ Andreas LASCARIUS, parentibus nobilibus ac fortunatis in Polonia Maiori genitus: cum Vladiſlavienſis adhuc Praepoſitus eſſet: VLADISLAI IAGELLONIS, Poloniae Regis nomine, anno MCCCCXI, IOANNI XXIII Pontifici Maximo, in Urbe Roma obedientiam praeſtitit. Cracovienſis deinceps Decanus, electusque Poſnanienſis Epiſcopus, anno MCCCCXIV exeunte, Legatus ad Sacroſanctum Concilium Conſtantienſe, à VLADISLAO Rege, eiusque fratre, VITOLDO Magno Lituaniae Duce, miſſus fuit. Quo in munere ampliſſimo exequendo, et prudentia, et eruditione facundiaque, qua pollebat ſingulari, nomen * ſuum apud Gentes exteras celebre effecit. Redux in Poloniam: inauguratusque Praeſul Poſnanienſis: Caliſſii menſe Septembri anni MCCCCXX, Provinciali Synodo, à NICOLAO TRAMBA, Gneſnenſi Archiepiſcopo Regnique Poloniae Primate, celebratae adfuit. Poſteaque ipſe Synodum Dioeceſanum ** Poſnaniae habuit. Vita functus eſt Goſlaviciae, in caſtello paterno, ſumtuoſè à ſe inſtaurato, octavo Kalendas Auguſti, MCCCCXXVI. Indeque eius cadaver pompa honorifica in Poſnanienſe templum Cathe-

thedrale deductum fuit. Legas de eo, IOANNIS DLUGOSSI ANNALES REGNI POLONIÆ, ſub annis, MCCCCXI, p. 313: MCCCCXIV, p. 358: MCCCCXXVI, p. 496: ipſiusque VITAS EPISCOPORUM POSNANIENSIUM, p. 88—90.

* Quas partes, ANDREAS electus Epiſcopus Poſnanienſis, in Concilio Conſtantienſe egerit: Concilii huiusce inclytiſſimi Acta, COLLECTIONIS REGIÆ MAXIMÆ PARISIENSIS Tomo VIII, p. 211 — 944 inſerta, paſſim te docebunt.

** Statutis, ea in Synodo conditis, deeſt anni indicium. Conjici tamen è Statutis ipſis poteſt: illa, poſt Synodum Provincialem Caliſſienſem à NICOLAO TRAMBA Archiepiſcopo Gneſnenſi celebratam, hoc eſt, poſt annum MCCCCXX, lata fuiſſe.

Prodiit, in HERMANNI von der HARDT, Helmſtadienſis Bibliothecae Academicae quondam Praefecti, MAGNO OECUMENICO CONSTANTIENSI CONCILIO, Tom. II, Part. V, p. 170—176: ANDREÆ LASCARII *** ELECTI POSNANIENSIS, Regis Poloniae et Magni Ducis Lituaniae ad Conſt. Conc. Legati, ORATIO ad SIGISMUNDUM Imperatorem in Conſtantienſis Concilii principio A. 1415. menſe Ianuario habita, de pace et unione Eccleſiae per SIGISMUNDUM Imperatorem Conſtantiae paranda. Ex MSC. Academiae Lipſienſis, hoc titulo: Collatio, facta per Dominum ANDREAM LASCHARII Electum Poſnanienſem, in Concilio Conſtantienſi, coram Rege Romanorum ſemper Auguſto et ſuis, praeſentibus Electoribus Imperii et multis aliis.

*** LASCHARII vitioſe à ſcriptoribus externis appellati.

Eodem-

Eodemque in Opere, Tom. II, Part. VI, p. 177 --- 183, omnium oculis expoſita eſt: ANDREAE LASCARII ELECTI EPISCOPI POSNANIENSIS, Regis Poloniae et Ducis Lituaniae Legati, ALIA ORATIO PARAENETICA, in Conſtantienſis Concilii principio A. 1415. menſe Ianuario ad Papam IOANNEM XXIII habita, de humilitate Papam decente, ſpontaneave Papatus abdicatione. Ex antiquiſſimo MSC. Caeſareo Vindobonenſi, Actorum Concilii Conſtantienſis: Parte IV, poſt med. f. 149.

ANDREAE huiuſce Epiſcopi Poſnanienſis Statuta Synodalia, in auctoris anonymi SYNODICO ECCLESIARUM POLONIAE: ZALUSCIANOS inter Codices MSSTOS, forma 4, ſub numero MDCCCCXCVI, repoſito: p. 27 — 40, invenies.

Eiuſdem ANDREAE, Poſnanienſis Epiſcopi, ad SBIGNEUM Electum Epiſcopum Cracovienſem, Epiſtolam anni MCCCCXXIII nondum editam, Cracoviae in Bibliotheca Academica reperiri: teſtis eſt Codicum MSStorum Bibliothecae illius Catalogus †, ad Sereniſſimum STANISLAUM AUGUSTUM, Gentis Polonicae Patrem ac Regem, inſtaurandis atque provehendis ſtudiis domeſticis maximopere intentum, diebus iſtis perlatus. Quem Maieſtatis Regiae iuſſu, Eius Anagnoſtes praecipuus, ANDREAS GAWRON-

GAWRONSCIUS, vir eleganter eruditus et ſummè officioſus, nobiſcum ſtatim communicavit.

† P. 5.

LXXI.

LECHITARUM ET POLONORUM CRONICA MAGNA.

Epiſcopus Poznanienſis BOGUFALUS. a Regni Polonie inicio. usque ad annum MCCLIII conſcripſit.

A quo tempore. Cuſtos eiusdem Eccleſie GODISLAUS. BASCO cognomine. ad annum MCCLXXI continuauit.

Proſecutus deinceps eſt Archidiaconus Gnezneñ anonymus. ad annum Milleſimum CCC Nonageſimum.

Extremo demum Scriptor anonymus alius. eo itidem tempore. quo Archidiaconus Gnezneñ uixit. geſta Polonorum uaria adiecit.

Folii magnitudine Chronicon * hoc integrum, deſcriptum eſt in ipſo Saeculi XIV exitu. Noſtra demùm aetate, à FRIDERICO WILHELMO SOMMERSBERGIO, Equite Sileſio, inter SILESIACARUM RERUM SCRIPTORES, Tomo II, p. 18--155, partitìm publicatum fuit. E quo volumine,

JOSE-

JOSEPHUS ANDREAS Comes ZALUSCIUS, Regni Polonici tunc Referendarius Supremus, ea denuò curavit typis excudenda: quae à BOGUPHALO Episcopo Posnaniensi, atque BASCONE Ecclesiae eiusdem Custode, posterorum memoriae sunt prodita. Dilapsis exinde annis XV, ZALUSCIUS ille Musis deditissimus: patriisque monumentis exquirendis genitus: codicem hunc manu exaratum feliciter obtinuit. Qui ab exemplaribus editis plurimùm differt: iisque multò locupletior est. Vide etiam BASCO: et BOGUPHALUS: et IOANNES Gnesnensis Archidiaconus.

* ZALUSCIANA inter Volumina MSSta, ordine est CCIII. Amictu regali, à Serenissimo STANISLAO AUGUSTO Principe et Parente Publico, donatum.

LXXII.

ANDREAS LIPSKI, auctor iuris civilis atque ecclesiastici eminentissimus: nobili et vetusta GRABIORUM * familia prognatus: isque imperante SIGISMUNDO III, Canonicus primùm, et deinceps Scholasticus Cracoviensis atque Plocensis, Custos quoque Gnesnensis et Secretarius Regius, summique in Curia regia Iudicii Consiliarius: Luceoriae postea Antistes, simulque biennio Regni Poloniae Procancellarius, qua-

quadriennio autem Cancellarius ſupremus: Praeſul dehinc Vladiſlavienſis: extremò Cracoviae Pontifex, Severiaeque Dux: Varſaviae Reipublicae ſede pridie Nonas Septembris, anno Domini MDCXXXI, aetatis autem ſuae LIX, fato conceſſit. Accuratè et liberè de eo expoſuit SIMON STAROVOLSCIVS, in VITIS ANTISTITVM CRACOVIENSIVM, p. 285—290. Nec ſingularia illa conticuit, quae ſcriptores duo maximè illuſtres; alter PAVLVS PIASECIVS, Epiſcopus Premiſliae, actionum LIPSCII teſtis oculatus, in CHRONICORVM ſuorum Editione Cracovienſi, p. 368. ſq. et p. 397. 501. 504. in Amſtelodamenſi autem, p. 308. 332. 420. 423.; alter STANISLAVS KOBIERZICIVS, Caſtellanus Gedanenſis, temporum LIPSCII ferè aequalis, in HISTORIA VLADISLAI, POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPIS, ELECTIQVE MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS, p. 616. ſq. 618. et 667. ſq. ſcire de ipſo poſteritatem cupiverunt. Cordatè etiam locutus de LIPSCIO eſt STEPHANVS DAMALEVICZ, in VITIS VLADISLAVIENSIVM EPISCOPORVM, p. 452—458. Mirificè autem ipſi ſunt blanditi, GASPAR NIESIECKI, in laborioſiſſimi operis ſui: DE CLARIS ATQVE ILLVSTRIBVS POLONORVM, LITVANORVMQVE FAMILIIS: lingua verna-

vernacula editi, Volumine III. p. 114—117: FRANCISCVSque RZEPNICKI, in VITIS PRÆSVLVM POLONIÆ ATQVE LITVANIÆ, Tomo I. p. 351—354. Contemnenda ſunt: quae nequam atque obtrectator BRAVNIVS, in CATALOGO CRITICO SCRIPTORVM POLONIÆ ET PRVSSIÆ, p. 130, LIPSCIO Praeſuli tanto affinxit. Edita LIPSCII opera, collectu quam difficilia ſint: credere vix poſſis. Reperiuntur in publica Bibliotheca ZALVSCIANA:

I.) De Rebus Geſtis Sereniſſimi et Potentiſſimi *Principis* ac Domini, D. SIGISMVNDI III, Poloniae ac Sueciae Regis &c. Brevis Narratio ANDREÆ LIPSKI A LIPE, Scholaſtici Plocenſis, Cuſtodis Gneſnenſis, et Canonici Cracovienſis, nec non Eidem Sacrae Regiae Maieſtati à Secretis. *ROMÆ*, apud ALOYSIVM ZANNETTVM. MDCV. Superiorum Permiſſu. forma 4 maiori.

Opuſculum hoc elegantiſſimum BRAVNIVS, Scriptorum noſtratium ſolers indagator, explorare haud potuit. Exemplar ZALVSCIANVM, ſaeculo ſuperiore, MAZARINIANÆ Bibliothecae partem fuiſſe: impreſſum poſſeſſoris tunc purpurati inſigne nos docet.

II.) PRACTICARVM OBSERVATIONVM ex Iure Civili et Saxonico collectarum, et ad ſtylum uſumque Iudiciorum Curiae Regalis accommodatarum, CENTVRIA PRIMA. Autore ANDREA LIPSKI A LIPE, Sac. Regiae Maieſt. à Secretis. *RIGÆ LIVONVM* excudebat NICOLAVS MOLLINVS Anno Domini MDCII. 4.

— Altera Editio, cuius hic eſt titulus: PRACTICARVM OBSERVATIONVM ex Iure Civili et Saxonico collectarum, et ad ſtylum uſumque Iudiciorum Curiae Regalis accommodatarum, CENTVRIA PRIMA. Autore Illuſtriſſimo et Reverendiſſimo Domino, D. ANDREA LIPSKI A LIPE I. U. D. nunc Epiſcopo Luceorienſi, Procancellario Regni, &c. Cum Gratia et Privilegio S. R. M. *CRACOVIÆ*, ex Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII, Anno Domini MDCXX. 4.

— Editio tertia *Poſnaniae*, anno MDCXXVI, typis IOANNIS WOLRABII, forma 4 deſcripta: è ZALVSCIANA Bibliotheca publica, in RADIVILIANAM Neſviſienſem tranſiit.

— Quarta Editio *Gedani*, anno MDCXXVII, ſumtu BALTHASARIS ANDREÆ, forma 4 adornata: quam titulus praefixus *Lutetiae Pariſiorum* in typographeo ANDREÆ de VILLA NOVA excuſam ſimulat: negligentia viri eruditi et illuſtris, cui à conditore Bibliothecae publicae, ad legendum fuerat conceſſa, periit.

— Supereſt adhuc Editio quinta, omnium optima, ſic inſcripta: PRACTICÆ OBSERVATIONES ex Iure Civili et Saxonico collectae, et ad ſtylum uſumque Iudiciorum CURIÆ REGALIS accommodatae, atque Indice locupletiſſimo auctae: AVTORE Illuſtriſſimo et Reverendiſſimo Domino, Dn. ANDREA LIPSKI à LIPE REGNI POLONIÆ CANCELLARIO, poſt vero EPISCOPO CRACOVIENSI. Cum Privilegio S.R.M. Pol. et Sueciae. *DANTISCI*, ſumtibus GEORGII FÖRSTERI, Bibliopolae Regii, Anno 1648. 4.

III.) PRACTICARVM OBSERVATIONVM ex Iure Civili et Saxonico collectarum, et ad ſtylum uſum-

uſumque Iudiciorum Curiae Regalis accommodatarum, CENTVRIÆ II SEMIS. Autore ANDREA LIPSKI A LIPE I. U. D. nunc Epiſcopo Luceorienſi, Regnique Poloniae Procancellario. Cum Gratia et Privilegio S. R. M. *CRACOVIÆ*, ex officina Typographica FRANCISCI CÆSARII, Anno Domini 1619. 4.

Prima haec eſt Editio CFNTVRIÆ II imperfectae. *Poſnanienſis*, unà cum CENTVRIA I, acceſſit Bibliothecae RADIVILIANÆ. *Gedanenſis*que illa: quae *Pariſienſis* falſò nuncupatur: ut CENTVRIA I, eſt deperdita. Reſtat tamen Editio *Gedanenſis* optima, cui is titulus: PRACTICARVM OBSERVATIONVM ex Iure Civili et Saxonico collectarum, et ad ſtylum uſumque Iudiciorum CURIÆ REGALIS: AVTORE Illuſtriſſimo et Reverendiſſimo Domino, Dn. ANDREA LIPSKI à LIPE Regni Poloniae quondam Cancellario, poſt vero Epiſcopo Cracovienſi: accommodatarum, CENTVRIÆ II SEMIS, noviter et accuratiùs recuſa, novoque rerum et verborum Indice aucta. Cum Privilegio S. R. M. Pol. et Sueciae. *DANTISCI*, ſumtibus GEORGII FÖRSTERI, Bibliopolae Regii, Anno MDCXLVIII. 4.

IOANNES PETRVS à LVDEWIG, Germanorum Iurisconſultus illuſtris, in Praefatione Tomi III, RELIQVIARVM OMNIS ÆVI MANVSCRIPTORVM, p. 12. ſq. lectoribus ſuis refert: „ſe codi„cem MS. ANDREÆ LIPSKI à Lipe, Epiſcopi „Luceorienſis, Regnique Poloniae ſupremi Cancel„larii, RELATIONES et DECRETA, in cauſis Iuris „Polonici graviſſimis, anni MDCXX, continentem „ſub haſta emiſſe. Cuius pretium ſe in eo poſuiſſe, „quod LIPSKI in hoc ſcientiae genere apud Polonos „valuerit ipſe ſcientia, uſu, auctoritate. Seſe vero ex

 „Polo-

„Poloniae inſtitutis lumen deſumere ſolitum, cùm uni-
„verſim ad Germanica jura, tùm ſigillatim Saxonica.

IV.) DECAS QVÆSTIONVM PVBLICARVM REGNI. In quibus Eccleſiaſtica iura, et immunitates Eccleſiaſtici Status, elucidantur. Autore ANDREA LIPSKI à Lipe I. V. D. Scholaſtico Cracovien. et Plocen. Cuſtode Gneſnen. Sacrae Reg. Maieſt. à Secretis. *CRACOVIÆ*, in Officina FRANCISCI CÆSARII, Anno MDCXVI. 4.

Adjecta operi huic eſt, lingua vernacula, LIPSCII eiusdem Cohortatio: ad Regni Ordines. Varſaviae de tollendis inter Ordinem Eccleſiaſticum et Saecularem controverſiis deliberaturos: anno MDCVII ſcripta. Quae unà cum QVÆSTIONIBVS illis PVBLICIS, in Editionibus reliquis omnibus repetita fuit. Dicendae adhuc ſunt Editiones illae, quas poſſidemus.

— Secunda videlicet *Poſnaniae*, anno MDCXXVI, IOANNIS WOLRABII characteribus expreſſa. 4.

— Tertia *Cracoviae*, anno Domini MDCXXXII, ex officina ANDREÆ PETRICOVII, S. R. M. Typographi, emiſſa. 4. Prodierunt eodem anno, è PETRICOVIANA typographia: Opuſcula tàm Eccleſiaſtici, quàm Equeſtris Ordinis, Nobilium Virorum Compoſitionis inter Status Negotio ſervientia: collecta à MELCHIORE STEPHANIDE. 4. Quibus etiam LIPSCII DECAS QVÆSTIONVM, memorataque eius Cohortatio, eſt inſerta. Quarta Editio peculiaris *Gedani*, anno MDCXLVI, ſumtibus HÜNEFELDIANIS, forma 4 publicata, deeſt nobis.

— Quinta adeſt Editio. Quae *Gedani*, anno MDCXLVII, GEORGII FÖRSTERI, Bibliopolae Regii impenſis, forma 4 lucem adſpexit.

v.) SYNODVS DIOECESANA LVCEORIENSIS. Anno Domini MDCXXI celebrata: ſub Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. in CHRISTO Patre et Domino, D. ANDREA LIPSKI, Epiſcopo Luceorienſi, Cancellario Regni Supremo. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII, Anno Domini MDCXXI. 4.

vi.) SYNODVS DIOECESANA VLADISLAVIENSIS. Anno Domini MDCXXVIII, die IV Maii celebrata. Praeſidente Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. Domino ANDREA LIPSKI A LIPE, Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopo Vladiſlavien. et et Pomeraniae. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII, Anno Domini MDCXXVIII. 4.

* Sic patrio idiomate, à Raſtro: Grabie: inſigni gentilitio ſuo, appellantur.

LXXIII.

IOANNIS ALEXANDRI GRABII LIPSKI, Gneſnenſis primùm Metropolitani Primicerii, et Poſnanienſis Cathedralis Praepoſiti, Abbatiaeque Clarae Tumbae Adminiſtratoris: Regni deinde Poloniae Procancellarii, atque Epiſcopi Luceorienſis, Praepoſitique Generalis Miechovienſis, et Heroici Ordinis Aquilae Albae Equitis: poſtea verò Antiſtitis Cracovienſis, et Ducis Severiae: tandemque Sacrae Romanae Ec-

clesiae Cardinalis: x Kalendas Martii, humanae Salutis anno MDCCXLVI, aetatis suae LVI demortui: elogium accuratissimè atque elegantissimè scriptum, praesixa ipsius icone, haud invenustè facta, in MARII GUARNACCI VITIS PONTIFICUM ROMANORUM, ET S. R. E. CARDINALIUM, Tom. II, p. 716 sq., exhibetur. Eius scripta, in nostra POLONIA LITTERATA HUIUS TEMPORIS, p. III indicantur.

Vernaculae eloquentiae laude nunc praecellit THADÆUS GRABIUS LIPSKI, Castellanus Lanciciensis, Aquilaeque Albae Eques.

LXXIV.

IOANNES LIPSKI, claro LADARVM † sanguine genitus, sed maximè eloquentiae fama celebris: factus à SIGISMVNDO III iam senescente Cracoviensis Ecclesie Cathedralis Praepositus: Regiarum epistolarum ac Publicarum litterarum scriptoribus praefuit. Nactus est ab eodem Rege Vanchocensem Abbatiam, Regnique Referendarii officium. Simulque functus est apud CONSTANTIAM AVSTRIACAM Reginam Cancellarii munere. Renunciatus à VLA-

VLADISLAO IV Episcopus Culmensis, Regis huius nomine, Viennensi in Curia, cum CÆCILIA RENATA AVSTRIACA, FERDINANDI III Imperatoris sorore germana, foedus connubiale pactus est. Locumque praecipuum eos inter Senatores tenuit, qui unà cum fratre Regis, IOANNE CASIMIRO, Reginam illam in Poloniam deduxerunt. Creatus exinde LIPSCIVS ille Gnesnensium Archiepiscopus atque Regni Poloniae Primas: felicitate ea haud diu usus: viscerum dolore interiit, tertio Idus Maji, reparatae Salutis anno MDCXLI, aetatis suae LII. Laudatus in funere est sermone Polonico, à GEORGIO OSSOLINSCIO, Regni tùm Procancellario: eloquentiae Latinae ac vernaculae, inter Polonos, temporibus illis principe. Cui LIPSCIVS, amicitiae usu omnium sibi junctissimo: amoris signum ac pignus perpetuum: scyphum aureum, gemmis pretiosis distinctum, reliquit. Vitae eius acta STANISLAVS BVZENSCIVS, in VITIS ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM ET REGNI POLONIÆ PRIMATVM nondum editis, p. 1490 — 1520, stylo uberiore tradidit. Nec indiligenter ea est persecutus SIMON OKOLSCIVS, in ORBIS POLONI, quo Sarmatarum Gentilicia nomina et insignia explicantur, Tomo II. p. 29 — 33. Isque

p. 34 ſq. honorificentiſſimum illud diploma exhibuit: quo Romanorum Imperator FERDINANDVS III, Culmenſem Epiſcopum IOANNEM LIPSKI DE LIPIE, Magnum Legatum à Conſobrino ſuo VLADISLAO IV Rege Polonorum ac Suecorum ad Se miſſum: fratresque illius germanos atque omnes ipſorum poſteros: Sacri Romani Imperii Comites creavit. E Scriptis IOANNIS LIPSCII, haec ad ZALVSCIOS fratres, Bibliothecae publicae conditores illuſtres, pervenerunt:

1.) PANEGYRICVS GVSTAVIANVS, ELIÆ de NVKROIS: h. e. DANIELIS KRVSII: cribro philyrino cribellatus. *SIRENATÆ*, i. e. *VARSAVIÆ*, cuius Vrbis inſigne eſt Siren. Anno Domini MDCXXVIII. 4.

Scriptum hoc, ſub nomine AH AMOTI KRVSII, eſt evulgatum.

II.) Oratio Funebris D. D. SIGISMVNDO III Poloniae et Sueciae Regi: et CONSTANTIÆ Reginae: ſcripta à IOANNE LIPSKI, Referendario Regni, Abbate Vanchocenſi, Praepoſito Cracovienſi, Regente Maioris Cancellariae Regni. *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXXXIII. 4.

— Oratio utraque, anno Domini MDCXXXV, in Vrbe Roma, typis LVDOVICI GRIGNANI, forma 4 maiori excuſa: tituloque illo inſignita: Iuncus

cus Regius philyrina cinctus fascia, seu Oratio Funebris D. D. SIGISMVNDO III Poloniae et Sueciae Regi: et CONSTANTIÆ Reginae: scripta à IOANNE LIPSKI, Referendario Regni, Abbate Vanchocensi, Praeposito Cracoviensi, Regente Maioris Cancellariae Regni.

— Gemina Oratio recusa, in ANDREÆ TRZEBICII: MANIPVLO ORATIONVM, AB ERVDITIS VIRIS POLONICÆ NATIONIS SCRIPTARVM, p. 41—69.

III.) Elogium Funebre Serenissimo D. ALEXANDRO CAROLO Poloniae et Sueciae Principi, à IOANNE LIPSKI, Referendario Regni, scriptum. *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXXXV. 4.

— Repetitum, in ANDREÆ TRZEBICII: MANIPVLO ORATIONVM, p. 133—144.

IV.) Illustrissimi, Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini, D. IOANNIS A LIPIE LIPSKI, Episcopi Culmensis et Pomesaniae: Serenissimi ac Potentissimi VLADISLAI IV Poloniae et Sueciae Regis, ad Serenissimum atque Invictissimum FERDINANDVM III Romanorum Imperatorem semper Augustum, Magni Oratoris et Legati: Orationes duae. Habitae in Aula Caesaris, coram Sua Caesarea Maiestate, ac Serenissima Regina CÆCILIA RENATA, die ultima Iulii, et III. Augusti. *VIENNÆ AVSTRIÆ*, typis MATTHÆI FORMICÆ, in Aula Coloniensi, Anno MDCXXXVII. 4.

Prior oratio, apud Imperatorem: altera, apud Reginam, habita fuit. In lucem publicam productae ſunt à DOMINICO RONCALLIO Italo: VLADISLAI IV Regis ab epiſtolis externis: LIPSCIIque Antiſtitis Culmenſis, in Legatione Viennenſi, à conſiliis. Qui orationem priorem, STANISLAO KONIECPOLIO, Cracovienſi Caſtellano copiarumque Polonicarum Duci ſupremo, inſcripſit: alteram, IOANNI WENZYK, Archiepiſcopo Gneſnenſi atque Primati Regni Poloniae, dedicavit.

— Orationis utriusque Editio multò elegantior: *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII, S. R. M. Typographi, eodem adhuc anno, forma 4 adornata.

— Oratio prior, iterùm prolata, in: ANDREÆ TRZEBICII: MANIPVLO ORATIONVM, p. 255—261.

— Ambae Orationes, denuò publicatae, in: IOANNIS OSTROWSCII DANEYKOWICII: SVADÆ POLONÆ ET LATINÆ Tomo II, Part. I, p. 11—14.

v.) Illuſtriſſimi et Reverendiſſimi Domini IOANNIS LIPSKI, Archiepiſcopi Gneſnen. Regni Poloniae Primatis, Primique Principis, Epiſtola: in negotio Principis IOANNIS CASIMIRI, fratris Poloniarum Regis, à Rege Galliarum militari cuſtodia detenti: ad Excellentiſſimum Dominum CLAVDIVM MEMMIVM, Sereniſſimi Galliarum Regis ad Septentrionales Provincias Legatum, ſcripta Kalendis Ianuarii, An. MDCXXXIX. ſine indicio loci atque typographi, divulgata. 4.

— Epiſtola LIPSCII Primatis, ab EVERHARDO WASSENBERGIO: SERENISSIMI IOAN-

IOANNIS CASIMIRI, POL. ET SUEC. PRINCIPIS, CARCERI GALLICO, p. 122 — 131 inserta. MEMMIIque Legati Reſponſio, eodem in opere, p. 167 — 183 exhibita.

— IOANNIS LIPSCII, Poloniae Primatis, Epiſtola: CLAVDIIque MEMMII, Legati Gallici, Reſponſio: coniunctim luci expoſitae, in IOANNIS OSTROWSCII DANEYKOWICII: SVADÆ POLONÆ ET LATINÆ Tomo II. Part. II. p. 5 — 12.

VI.) IOANNIS Comitis de LIPIE LIPSKI, Archiepiſcopi olim Gneſnenſis, Regnique Poloniae Primatis et Primi Principis Epiſtolae: ad VLADISLAVM IV Regem: et ad Regni Praeſules, alteriusque ordinis Proceres: patrio idiomate ſcriptae. Interſertis Litteris compluribus: ad VRBANVM VIII * Pontificem Maximum: ad FERDINANDVM III Romanorum Imperatorem: et ad Eccleſiae Romanae Patres purpuratos, Heroasque Europaeos illuſtriores: Latino ſermone compoſitis. Exſtat ſub finem elegantiſſima atque accuratiſſima: Relatio de ſtatu Archidioeceſeos Gneſnenſis, à IOANNE LIPSKI Archiepiſcopo, paullò ante obitum ſuum, ad Sanctam Sedem Apoſtolicam miſſa. Conſcriptum illud Volumen eſt charactere admodum nitido: folii magnitudine. Eſtque, inter ZALVSCIANOS Codices manu exaratos: qui ad Poloniae hiſtoriam pertinent: ordine CCCXXX.

† Tulerunt id cognomen, à ſtemmate ſuo: Łádá: hoc eſt, ſolea cruce inſignita.

* Delectabatur VRBANVS VIII ſcriptionibus huiusce LIPSCII: quem Sarmatarum LIPSIVM appellitare conſueverat.

LXXV.

STANISLAVS Comes de LIPIE LIPSKI, Canonicus Cathedralis Plocenſis atque Praepoſitus Cremenecenſis, Iubilaeo anno MDCL, Romam profectus: in communi illa CHRISTIANORVM Populorum celebritate: Divo STANISLAO, Cracovienſi Pontifici ac Martyri, in cognominata ab ipſo Eccleſia Nationis Polonorum, ipſis Nonis Majis, ei ſacris, Panegyricum dixit. Quem mox, ſuperiorum permiſſu, in ipſa Vrbe, LVDOVICI GRIGNANI typis, forma 4 deſcribendum curavit. Redux in patriam ſuam, Cracovienſium Canonicorum collegium, Poloniae totius nobiliſſimum, ingreſſus: Regnique Cancellariae maioris praefecturam conſecutus eſt. Hisque honoribus conſpicuus: poſt abdicationem IOANNIS CASIMIRI Regis: MICHAELI KORIBVTH Regi electo nomen ſuum dedit. Reliqua illius LIPSCII nos latent.

LXXVI.

FELIX Comes DE LIPIE LIPSKI, Siradiae adhuc Caſtellanus, in Electione gemina: quae IOANNIS III Regis mortem ſubſequebatur: ad CONTIANAS partes acceſ-

accessit. Principemque ipsum FRANCISCVM LVDOVICVM CONTIVM mari adventantem, in Gedanensium portu, oratione * magnifica excepit. Conciliatus tamen AVGVSTO II, Regi inaugurato: Calissiensis Palatini dignitatem ab eo impetravit. Suecorum postea Rege CAROLO XII, Curoniam atque Lituaniam hostiliter intrante, Regisque Polonorum AVGVSTI II abdicationem postulante: Reipublicae decreto, legatio illustris è Senatorio atque Equestri Ordine, CAROLVM Regem adiit: cuius dux, LIPSCIVS ** ille, Palatinus Calissiensis, fuit. Qui Regis iuvenis animum, belli cupiditate nimia flagrantem, blanda oratione *** mitigare, et ad refovendam cum Rege et Republica Polonorum pacem pristinam flectere, frustra conatus est. Reversusque LIPSCIVS, aemulorum suorum atque invidorum arte, incusatus perfidiae: binis à Nobilibus furibundis, vulneribus continuis confossus, optimè de patria meritum spiritum caelo reddidit, exeunte mense Septembri anni MDCCII. Ossa eius recondita sunt loculo argenteo. Obitam ab ipso legationem: caedemque Senatoris praeclari, Regisque ipsius AVGVSTI testimonio innocentissimi: fato eius illacrymans, Varmiae Princeps atque Praesul, Regnique Poloniae Cancel-

larius

larius supremus, ANDREAS CHRYSOSTOMVS ZALVSCIVS, in EPISTOLARVM suarum HISTORICO-FAMILIARIVM Tomo III. p. 152—156. 171—177. 180. 181 sq. 183. 185 sq. 187. 188. 193—195. 200. 201 sq. 252—255. 277. 304. memoriae prodidit.

* Quam, à Principe ZALVSCIO, in EPISTOLARVM HISTORICO-FAMILIARIVM Tomo II. p. 459—464 omnium oculis expositam: IOANNES CHRISTIANVS LüNIG, in ORATIONVM, A PROCERIBVS EVROPÆ HABITARVM, Partem III. p. 315—327 transtulit: inde verò IOANNES OSTROWSCIVS DANEYKOWICIVS, in SVADÆ POLONÆ ET LATINÆ suae Tomo II. Part. I. p. 18—22 iterùm in medium produxit.

** Collegae ipsius, à Republica designati, fuerunt ANDREAS CASIMIRVS KRYSZPIN Palatinus Vitebscensis: STANISLAVS Comes TARLO supremus Culinae Regni Praefectus: IOSEPHVS POTOCKI Praefectus Haliciae: CASIMIRVS OGINSKI Gubernator Gordoviensis: et ALEXANDER MYCIELSKI Subiudex Siradiensis Territorii.

*** Hanc, à Principe ZALVSCIO, in EPISTOLARVM suarum Tomo III. p. 173 sq. publicatam: LüNIG, ORATIONVM à se collectarum, Parti III. p. 361—363 immiscuit. Unde DANEYKOWICIVS, in SVADÆ POLONÆ ET LATINÆ Tomo II. Part. I. p. 23 sq. denuò promulgavit.

Falsò quidem à LüNIG p. 445 sq. atque à DANEYKOWICIO p. 24. Calissiensi Palatino oratio altera, ad CAROLVM XII Sueciae Regem, fuit attributa. Quam Princeps ZALVSCIVS p. 174, in conspectum à se prolatam: loco secundo, à Regni Culinae Praefecto supremo, Comite TARLONE, esse habitam: ibidem, atque p. 195 disertè ait.

Responsum Oratori utrique, ipsorumque Collegis, Sueciae Regis nomine, à CAROLO Comite PIPER datum: Princeps ZALVSCIVS p. 175 palàm fecit. LüNIG inde p. 447 exhibuit. E quo DANEYKOWICIVS p. 49 repetiit.

LXXVII.

LXXVII.

† STANISLAUS LOCHOWSKI, Nobilis Minoris Poloniae, isque Castri Opocznensis in Satrapia Sandomiriensi Notarius, VLADISLAO IV regnante, iuris disciplina in Polonia maximè enituit. Scriptis hisce testantibus:

I.) REGULÆ IURIS, ET LOCI COMMUNES FORENSES. Quorum de Iure et Praxi Communi tritus et versatus in Foro Usus: et Allegatio. Auctore STANISLAO LOCHOWSKI Castri Opocznen. Notario. *POSNANIÆ*, è Typographeo ALBERTI REGULI, 1636, et 1642, 12. Ibidem, sine Typographi indicio, 1643, pari forma. *CRACOVIÆ*, ex Officina FRANCISCI CÆSARII, 1644: filiique eius cognominis, 1686, 1691, et 1701, 8. Eademque in Urbe, Typis Haeredum FRANCISCI CÆSARII Iunioris, 1727, forma simili.

Cracoviensem editionem anni 1701, Litteratores Lipsienses in ACTIS ERUDITORUM, MENSIS MAII, A. MDCCII. p. 197—199, merita cum laude recensuerunt. Eandemque Princeps IOSEPHUS ALEXANDER IABLONOWSKI, Palatinus Novogrodensis, in MUSEO POLONO, p. 145, indicavit. Cui ceterae editiones, reliquaque LOCHOWSCII opera haud innotuerunt.

II.) PROCESSUS IURIS LIMITANEI, REGNI POLONIÆ. Auctore STANISLAO LOCHOWSKI Castren. Opocznen. Notario. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini 1641. 4.

Librum hunc perutilem, Nobilibusque Polonis pernecessarium: sed inventu olim in Polonia ipsa difficillimum: aetate nostra MARTINUS PACIORKOWSKI bis curavit recudendum. Qui tamen, oppresso LOCHOWSCII auctoris veri nomine, temerè atque insolenter opus sibi ipsi tribuit, inscriptione eiusmodi praefixa: REGULA PROCESSUS GRANICIALIS CAMPESTRIS, REGNI POLONIÆ. Secundum Praxim moderni saeculi, ad dislimitanda Bona Regalia, Spiritualia, et Terrestria. Ad usum publicum, cum Additamento Legum et Constitutionum Regni. Auctore MARTINO PACIORKOWSKI, Officii Castrensis Opocznensis Subdelegato Iurato. Typis Clari Montis CZENSTOCHOVIENSIS. 1749. 4. *LUBLINI*que, typis S. R. M. Collegii Soc. IESU. 1760. eadem forma.

III.) DE CORRECTURA IURIUM, ET PROCESSUS IUDICIARII TERRESTRIS COMPENDIO: Brevis Discursus. Auctore STANISLAO LOCHOWSKI Castren. Opocznen. Notario. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini 1641. 4. Liber summè rarus.

IV.) COMITIORUM REGNI POLONIÆ GENERALIUM FORMA, VIS, ET EFFECTUS. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII. Anno à partu Virginis 1644. 4.

Libellus rarissimus. Praemissam ad CHRISTOPHORUM SUŁOWSKI, Ravensem Palatinum, Epistolam: auctor ipse, STANISLAUS LOCHOWSKI, Castri Opocznensis Notarius, *Miedzyboreae* XI mensis Ianuarii, MDCXLIIII, subscripsit.

V.) QUÆ-

v.) QUÆSTIO: quis inter MILITEM, IURISCONSULTUM, et MEDICUM, ſit REGNO et REIPUBLICÆ utiliſſimus? Per modum cuiusdam concertationis fraternae, in Theatrum Iuris publicum prolata. Auctore STANISLAO LOCHOWSKI de Lochow, Caſtri Opocznen. Notario. *CRACOVIÆ*, in Officina FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typographi. Anno D. 1647. 4.

Praeter ſcripta illa, prodiit opuſculum, cuius titulus eſt: ALEXANDER MAGNUS, ſive rerum ab ALEXANDRO MAGNO, Rege Macedonum, geſtarum Exempla praecipua, ex variis Auctoribus collecta: ſingularique ſtudio et opera STANISLAI LOCHOWSKI de Lochow, Caſtren. Opocznen. Notarii, in lucem Edita. *CRACOVIÆ*, in Officina FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini 1646. 4.

Nec taceri debet: EQUES POLONUS, ſive Almae Nobilitatis Polonae, cum ſuis inſigniis et praerogativis, Vera Effigies. Primùm per Adm. Rndum. D. VENCESLAUM KUNICKI in Kunice, Canonicum Louicien. Praepoſit. Opocznen. &c. ſub ſtatu ſaeculari in lucem edita. Nunc demùm à Generoſo STANISLAO LOCHOWSKI, Notario Caſtren. Opoczneñ. priſtinae luci reſtituta. Cum licentia Superiorum. *CRACOVIÆ*, in Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini 1645. 4.

LXXVIII.

✝ PETRUS LODEREC Dalmata, cum in Bohemia verſaretur: DICTIONARIUM SEPTEM LINGUARUM, videlicet LATINÆ, ITALICÆ, DALMATICÆ, BOHEMICÆ, POLONICÆ, GERMANICÆ, et HUNGARICÆ. *PRAGÆ*, MDCV, forma 4 tranſverſa, in lucem edidit. Hungaricae Bibliothecae ſcriptori diligentiſſimo, ALEXIO HORA'NYIO, auctor ille nondum in notitiam venit.

IOANNES LONGINUS, Canonicus Cracovienſis: ANNALIUM REGNI POLONIÆ ſcriptor praecipuus: vide DLUGOSSUS.

LXXIX.

✝ THOMÆ MAKOWSKI, Equitis Poloni: MAGNI LITUANIÆ DUCATUS TABULA GEOGRAPHICA: Lituanicarum omnium rariſſima eſt. Nec Epiſcopo Kiovienſi, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALUSCIO, patriorum monumentorum indagatori tanto, unquam viſa: nec audita quidem fuit. Exoriente ſaeculo ſuperiore, in publicum prodiit. Mentioque eius facta eſt, ab

ab HESSELO GERARDO, in ea nota, quam, editae à ſe, anno à CHRISTO nato MDCXIV, TABULÆ RUSSIÆ: ex Autographo THEODORI Moſcoviae Principis deſumtae: appoſuit.

LXXX.

+ CASPAR MALLINIVS Polonus, Argentoratenſi in Academia *, artem medicam litterasque humaniores ſtudioſiſſimè ac diligentiſſimè coluit. Ibidemque Elegiacum carmen prolixum, idque elegantiſſimum: IOANNI ZAMOSCIO, Belſenſi adhuc, Zamechenſique, atque Knyſinenſi Praefecto, Elegis venuſtis dicatum: publicavit. Cui is titulus: IATROTHEOLOGONOMICOMACHIA; Carmen, quo Medicinae excellentia, refutatis quibusdam obiectionibus, oſtenditur. Per CASPARUM MALLINIUM Polonum. *ARGENTORATI*, apud BERNHARDUM IOBINUM. Anno 1575, 8.

*, Quae tunc temporis, à Polonis praeſertim, aut Auguſtanae, aut Helveticae Confeſſionis ſequacibus: maximèque à LESCINIIS et OSTROROGIIS, POTOCIISque atque RADIVILIIS: frequentabatur.

Exemplar illud: quod in ZALUSCIORUM muſeo publico aſſervatur: ad IOANNEM LUDOLPHUM BÜNEMANNUM, Min-

densis Gymnasii quondam Rectorem, optimorum atque exquisitorum librorum scientia et copia instructissimum, pertinuit. Cuius manu propria, folio priori, verba haec sunt adscripta: Elegans, et ob raritatem paucis notum Carmen. Utinam vir doctus aliquis colligeret et ederet Delicias Poetarum Polonorum; in quibus hic CASPAR MALLINIUS locum mereretur.

MALLINIUS ipse in Poloniam reversus: ZAMOSCIIque Herois ac Maecenatis summi, familiaribus adiunctus: et ad SIMONIS SIMONIDÆ Leopoliensis, Vatis maximi, amicitiam singularem et consuetudinem crebram aggregatus: carmina plura in lucem emisit. Quae recenseri nunc à me, adeò infirmo, haud possunt.

LXXXI.

MARTINVS GALLVS Sacerdos: patriae exul: fati clementia, BOLESLAO III regnante, delatus est in Poloniam. Scientiaque sua atque prudentia, in MARTINI Gnesnensis tùm Archiepiscopi: itemque MAVRI Pontificis Cracoviensis, et PAVLI Crusvicensis Praesulis: SIMONIS etiam Episcopi Plocensis, atque

ZI-

ZIROSLAI Vratiſlavienſis Antiſtitis, familiaritatem ſeſe inſinuavit. Quorum liberalitate illectus, potentiaque atque auctoritate fultus, CHRONICON POLONIE, ET DUCIS BOLESLAI PRINCIPALITER, contexuit. Orſus ille opus ſuum eſt à PIASTO: illata POPIELI, vulgo CHOSTEK dicti, mentione. Finiit BOLESLAI III geſtis memorabilibus ſub annum MCIX. Eſt monumentum iſtud, Polonicorum annalium, qui ad nos pervenerunt, omnium vetuſtiſſimum. Latuitque * omnium diutiſſimè in tenebris. Nam anno demùm MDCCXLIX, in nobiliſſima Gedanenſium civitate, Gentisque Polonae commerciis ac ſtudiis florentiſſima, ab eius Syndico GOTTFRIDO LENGNICH, Hiſtorico ipſo claro celebrique, è Codice, manu admodum antiqua ac nitida perquam accuratè ſcripto: doctiſſimi Varmienſis Principis atque Antiſtitis, ADAMI STANISLAI GRABOWSCII, tunc proprio: folii magnitudine in lucem ** prolatum eſt, unà cum VINCENTII KADLVBKONIS Epiſcopi Cracovienſis CHRONICO, atque Scriptoribus domeſticis duobus anonymis. VINCENTII autem KADLVBKONIS POLONI, atque MARTINI GALLI, codex MStus, à GRABOWSCIO, Varmiae Principe et

 Prae-

Praesule, invisenti ipsum Episcopo Kioviensi atque Czerniechoviensi, IOSEPHO ANDREÆ ZALVSCIO MVSAGETÆ, tanquam pignus pactae cum eo amicitiae, donatus † est reparatae Salutis humanae anno MDCCLX.

* Usus CHRONICO illo est IOANNES DLVGOSSVS, Canonicus Cracoviensis, rerum à Polonis gestarum Scriptor praecipuus. Testemque ille MARTINVM GALLICVM produxit, in ANNALIVM suorum Tomi prioris Editione Dobrimilensi, p. 36 et 63: inque Lipsiensi p. 36 et 65. MARTINVS CROMERVS, Varmiensium Episcopus, auctorem hunc non vidit. E DLVGOSSI tamen commemoratione, eius meminit, in operis sui praeclarissimi: DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM: Editione Coloniensi, p. 22b. et 23 a. Habuit autem IOANNES FELIX HERBVRTVS, Vexillifer Leopoliensis: KADLVBKONIS atque DLVGOSSI, ORICHOVIIque primus Editor: MARTINVM GALLVM. Quem ille, in propria sua, ad KADLVBKONIS CHRONICON praefatione, Gallum anonymum vocavit. Dedissetque etiam eum civibus suis: nisi mortalitate ipse fuisset interceptus.

** Mansit tamen operis memoratissimi, maximèque nobis necessarii Editio, Polonis ipsis litteratissimis incognita: exemplaribus perpauculis à Typographo anonymo excusis.

† Regiè nunc vestitus, Patris patriae, STANISLAI AVGVSTI, liberalitate. Ordine CCII.

LXXXII.

MARTINUS Nobilis Polonus, primus huius nominis Archipraesul Gnesnensis, Provinciae Metropolitanae ab anno MXCII ad annum MCXVIII praefuit: notante IOAN-

IOANNE DLUGOSSO, Gneſnenſi atque Cracovienſi Canonico in VITIS ARCHIEPISCOPORUM ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS MSStis, p. 66 ſq., inque editis ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, ſub annis MXCII, p. 323, et MCXVIII, p. 411. Isque MARTINUS, primus in Polonia Maecenas, MARTINO Gallo, Sacerdoti exuli, Gneſnae in Caſtro S. GREGORII domicilium commodaque omnia praebuit: ſicut, ex ipſius MARTINI Galli, CHRONICI prooemio, colligimus.

LXXXIII.

MARTINVS POLONVS, Ordinis Praedicatorum, inter Scriptores Saeculi XIII, locum ferè primum ac eminentiſſimum tenuit. Genere quidem Polonus haud * fuit. Natus autem fuit Oppaviae **, celebri urbe Sileſiae: quae tunc temporis Poloniae adhuc Principibus parebat. Unde MARTINVM hunc, POLONVM cognominatum: auctores graviſſimi atque clariſſimi *** opinantur.

* Ferunt auctores noſtrates iſtum ipſum MARTINVM, nobili STRZEMPSCIORVM familia in Polonia prognatum: perhibito veteri teſtimonio nullo.

** Teſtantur id MARTINIANI CHRONICI codices MSSti duo perveteres; unus Imperatorius Vindobonenſis; alter

alter ille, qui è vetusta Bibliotheca, Regis Hungarorum bellicosissimi atque doctissimi, MATHIÆ CORVINI, ad Monachos Carthusianos Coenobii Gamingensis in Austria devenit. In utriusque enim praefatione MARTINVS ipse, PATRIA OPPAVIENSEM, sese vocitavit. Luculenter de codice utroque disseruit PETRVS LAMBECIVS, in COMMENTARIORVM, DE AVGVSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI, LIBRO II. p. 868. et 870.

*** MARTINVS maximè HANKIVS: DE SILESIIS INDIGENIS ERVDITIS, p. 37. et IOANNES GEORGIVS ECCARDVS, in CORPORIS HISTORICI MEDII ÆVI, TOMI I prooemio, §. XX.

Sacrum Ordinem Praedicatorum MARTINVS ille ingressus est Vratislaviae †, Silesiorum urbe primaria. Missusque à Superioribus suis Romam ‡, Vrbem urbium: Pontificis Maximi, CLEMENTIS IV consecutus gratiam atque familiaritatem, Poenitentiarius atque Capellanus ab ipso assumtus fuit. Quibus etiam muneribus, apud GREGORIVM X, et INNOCENTIVM V: pariterque apud IOANNEM XXI, atque NICOLAVM III, functus est. A NICOLAO quidem Tertio, mense Iunio anni post CHRISTVM natum MCCLXXVIII, Gnesnensis in Polonia Ecclesiae Metropolitanae Archiepiscopus renunciatus, atque ‡ inauguratus: spatio tamen anni eiusdem, profecturus in Poloniam, morbo Bononiae correptus, extinctusque fuit.

† Relatum ſic eſt à Fratribus Ordinis Praedicatorum, qui Vratiſlaviae Divi ADALBERTI Coenobium incolunt, Hiſtorico laudato, IOANNI GEORGIO ECCARDO: magni et inclytiſſimi Comitis FLEMMINGII tùm Secretario: anno MDCCIII, è Polonia revertenti. Oſtenſaque ipſi eſt, aſſervata in Coenobio illo vetus pictura: quae MARTINI POLONI faciem exprimebat.

‡ Pertinuit MARTINVS, ut alumnus Coenobii Vratislavienſis, ad Ordinis Praedicatorum provinciam Polonam: cuius moderamini ac poteſtati, Sileſiae tunc, Bohemiaeque Coenobia omnia, ſubiecta erant. Qua ratione potiſſima, MARTINVM: provinciae totius Polonae negotiis in Curia Romana praepoſitum: POLONVM ibi fuiſſe appellitatum, haud abſurdè colligi poteſt.

‡ Creatum MARTINVM illum, à NICOLAO Papa Tertio, Archipraeſulem Gneſnenſem, conſecratumque in Vrbe Roma: profectionis autem ſuae initio, apud Bononiam fato abſumtum, atque in Coenobio Fratrum Praedicatorum Bononienſi ſepultum: princeps ipſe Polonicorum annalium auctor, IOANNES DLVGOSSVS, Gneſnenſis Metropolitanus ſimul ac Cracovienſis Cathedralis Canonicus, ſub anno MCCLXXVIII, memoriae prodidit.

Deperierunt quidem Pontificiae Litterae: quibus MARTINVS in munere Archiepiſcopali Gneſnenſi fuit conſtitutus. Reperiri tamen, in Vaticano Tabulario ſecretiori, BVLLAM NICOLAI PAPÆ TERTII, X Kalendas Iulias anni MCCLXXVIII, datam: qua MARTINO de Ordine Praedicatorum, quem ipſe Gneſnenſem Archiepiſcopum conſecraverat, Pallium aſſignavit: accepi ego, ab huius temporis MABILLONIO, Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Domino Comite GARAMPIO, Archiepiſcopo Berytenſi, Apoſtolicoque in Polonia utraque cum facultatibus Legati de Latere Nuncio Ordinario. Qui Tabulario illi ipſe praefuit. Superſunt praeterea Litterae illae, à NICOLAO III Pontifice Maximo, ad Firmanum Epiſcopum PHILIPPVM: Apoſtolicae Sedis in Hungaria, Poloniaque, et Regnis finitimis, Legatum: ex Vrbe Roma, X Kalendas Ianuarias anni MCCLXXIX, miſſae: quibus inaugurandi WLOSTIBORII Archiepiſcopi, in locum anno ſuperiore demortui MARTINI de Ordine Praedicatorum, à Gneſnenſibus ipſis Canonicis, è

gremio suo electi, facultas conceditur. Insertae, ab ODORICO RAYNALDO, ANNALIVM ECCLESIASTICORVM Tomo XIV, sub anno MCCLXXIX, Num. XLIII. Indeque ab ANTONINO BREMOND, in BVLLARII ORDINIS PRÆDICATORVM Tomum I, p. 568, translatae.

Compositum ab eo CHRONICON SVMMORVM PONTIFICVM ATQVE IMPERATORVM ROMANORVM, tantam ipsi peperit gloriam auctoritatemque, ut in Ecclesia Republicaque Christiana, temporibus illis, nemo doctus politusve fuerit existimatus, qui hocce opus MARTINI non perlegisset, edidicissetque. Evulgata ab auctore ipso sunt exemplaria terna. Unum ††: quod INNOCENTII IV Pontificatum attingit. Alterum actis CLEMENTIS IV desinit. Tertium usque ad electionem NICOLAI III progreditur.

†† Prioris exemplaris Codicem, Scriptor Polonus illustris: idemque et antiquus, et MARTINI aequalis: BOGVPHALVS Posnaniensium Episcopus, huius nominis Secundus, videtur possedisse. Citavit enim ille: qui, Februario mense anni MCCLIII, diem explevit supremum: CHRONICI POLONI sui exordio, lectam à se MARTINI CHRONICAM ROMANAM.

ZALVSCIANA in Bibliotheca publica exstat exemplaris alterius Codex * membranaceus, folio parvo, elegantissimus: pretio haud tenui à ZALVSCIO MVSAGETA in Belgio ** acquisitus. MARTINI ipsius, ut putamus, aevo accuratè est descriptus. Neque

Neque maculatus eſt IOANNÆ PAPISSÆ fabella. Quae Codicibus aetatis inferioris, à fraudatore impudentiſſimo, eſt intexta. Reperiturque, eadem in Bibliotheca, antiquus ac nitidus Codex *** papyraceus, forma 4 maiori: taliter adulteratus. Eſt praeterea, in ZALVSCIANA illa Bibliotheca, vetus Codex **** membranaceus, folio maiori, ſummae pulchritudinis: cui ineſt CHRONICI MARTINIANI interpretatio Gallica. Cuius auctor, DOMNVS VERNERON, Canonicus Leodienſis, Latino Codice corrupto eſt uſus.

* Ordine CCI. Amictu ſplendido à STANISLAO AVGVSTO Rege impertitus.

** MARTINIANI CHRONICI MSSti Codices inquinati, in Italorum atque Gallorum, Anglorum etiam atque Germanorum Bibliothecis publicis, privatisque, adſunt frequentiſſimi: genuini autem rariſſimè obvii.

*** Ordine MDCCCCLXXVI. Codex ille, è praeſtantiſſima Bibliotheca UILENBROEKIANA advectus, inſcribitur: CHRONICA MARTINIANA PULCHRIS ADDICIONIBUS ORNATA. Finit IOANNIS XXII Pontificatu.

**** Ordine CXXX.

De vita MARTINI POLONI: de patria diverſa, et de cognominibus diverſis, honoribusque dubiis, ipſi attributis: de CHRONICI ſui Codicibus MSStis †, Editionibusque excuſis ††, atque Interpretationibus variis: deque caeteris eius Operibus: ſacri

ſacri atque inclyti Ordinis Praedicatorum par litteratiſſimum, IACOBVS QVETIF atque IACOBVS ECHARD, in operis ampliſſimi atque abſolutiſſimi: quo SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORVM RECENSENTVR, NOTISQVE HISTORICIS ET CRITICIS ILLVSTRANTVR: Tomo I. p. 361—371, omnium et copioſiſſimè et accuratiſſimè expoſuerunt. Quorum commentationem IOANNES PETRVS NICERONIVS, dans les MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE DES HOMMES ILLUSTRES, Tom. XIV. p. 195—208, paulò brevius repetiit. Reliquorum auctorum: qui, de MARTINO illo, ingenio ac ſtudio impari commemorarunt: nubem producere, eſſet mihi, nunc infirmo, viſuque ac memoria deficienti, nimis ‡ moleſtum.

† CHRONICI MARTINIANI Codices MSSti, à QVETIF atque ECHARD, viris illis eruditiſſimis, principales judicantur VATICANVS, et NAVARRICVS primus: quatuorque IMPERATORII VINDOBONENSES priores, atque NAVDÆANVS, à PHILIPPO LABBEO in NOVA BIBLIOTHECA MSSTORVM LIBRORVM, quae Pariſiis, anno MDCLIII, forma 4 prodiit, p. 222 ſq. indicatus. Quibus Berytenſis Archiepiſcopus atque Apoſtolicus in Regno Poloniarum Nuncius Ordinarius, IOSEPHVS Comes GARAMPIVS: Praeſul ille, ſummè et ſapiens et doctus, veterumque ſcriptorum aetate noſtra omnium peritiſſimus: CORSINIANVM Codicem, in elegantiſſima, DE NVMMO ARGENTEO BENEDICTI III. PONT. MAX. Diſſertatione, p. 14, à ſe recenſitum: ZALVSCIANVMque membranaceum, nuperrimè magna cum voluptate à ſe perluſtratum atque examinatum: meritiſſimò cupit adjungi.

†† Editio CHRONICI MARTINIANI, typis exſcripta, omnium optima, et fide digniſſima, inventuque difficilior, illa eſt: quam IOANNES FABRICIVS cognomento CÆSAR, Ordinis Praemonſtratenſis, Canonicus Gladbachſenſis doctiſſimus, iuxta Codicem vetuſtiſſimum, temporumque MARTINI POLONI ferè aequalem, *Coloniae Agrippinae* apud GERHARDVM GREVENBRVCH, anno MDCXVI, folio parvo adornandam curavit. Adeſt ea, in Bibliotheca ZALVSCIANA, cum Editionibus reliquis omnibus. Neque deeſt antiquae Interpretationis Gallicae ſuprà memoratae Editio: typographicae artis ſpeciminibus rariſſimis iure apponenda: quae *Lutetiae Pariſiorum*, ex officina ANTONII VERARDI, ſine temporis ſignificatione, circa annum MDIV, folii magnitudine, in lucem prodiit.

‡ Praeterire tamen PETRVM BAYLIVM, philoſophum ac litteratorem ſummum, nequeo. Qui, in LEXICI HISTORICO-CRITICI, Gallicè ſcripti: Editionis anni MDCCXL: Tomo III. p. 773 — 777, MARTINI POLONI, CHRONICIque ab ipſo concinnati, hiſtoriam litterariam eruditè eſt perſecutus.

LXXXIV.

MATTHÆVS VARMIENSIS, eiusdem dioeceſeos Preſbyter. Temporibus HENRICI I, Varmiae Antiſtitis, vixit. Eſt, penes nos, huius MATTHÆI Tractatus de diuina gracia eleccione et reprobacione: ad reuerendum eundem in chriſto patrem domnum henricum epiſcopum uarmienſem, ſub finem Saeculi decimi tertii, in membrana *, forma 4 exaratus.

* Manuſcriptos inter Codices, ſub Numero MDCCCCLXXXIII, repoſitus.

LXXXV.

LXXXV.

✠ IOANNES DE MEDICIS, LEONIS X Summi Pontificis cognatus: linguae Polonicae peritiſſimus *: componendi Prutenici negotii cauſa, poſt ZACHARIAM FERRERIUM Epiſcopum Gardienſem, ab HADRIANO VI ** Pontifice Maximo, ad SIGISMUNDUM I Poloniae Regem, menſe Septembri anni MDXXII, Nuncius miſſus fuit. Oratio ab ipſo ad Regem Latinè dicta: Regiaeque Maieſtatis reſponſum eadem lingua datum: in Volumine Miſcellaneo ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, ſub numero CCXXVI b. collocato, p. 44—48, reperiuntur.

* Memorante BERNARDO VAPOVIO in ANNALIUM FRAGMENTO, Operibus Hiſtoricis MARTINI CROMERI annexo, p. 575.

** Non autem à LEONE X, ut perperam narrat VAPOVIVS.

LXXXVI.

FRIDERICUS MEIBOMIUS, Sacrae Theologiae Doctor, Canonicus Gutſtadienſis, atque Archipresbyter Elbingenſis. Eo claruit tempore, quo VENCESLAUS LESCINIUS Varmienſem Eccleſiam Pontifex rexit. Cui admodum gratus fuit, propter elegan-

elegantiam ingenii, et morum ſuavitatem. Juſſu eius *Thorunienſi* illi interfuit Colloquio, quod à mutua, qua peragendum erat, caritate denominatur. Ipſius ſcripta haec ſunt:

I.) Oratio Gratulatoria, Ad Sereniſsimam Poloniae Sueciaeque Reginam, LVDOVICAM MARIAM GONZAGAM, Sereniſsimi ac Potentiſsimi Regis, VLADISLAI IV. Deſideratiſsimam Sponſam, Habita in Templo S. Nicolai Elbingae. Anno 1646. Menſe Febr. 4.

II.) Princeps Magnus, ſive Concio Funebris, in Exequiis Sereniſsimi Ac Potentiſsimi Principis, VLADISLAI IV. Poloniae Sueciaeque Regis, Habita Elbingae in Templo Sancti Nicolai, Anno 1649. die 15. Januarii. Typis ACHATII CORELLII. 4.

III.) Gratulatio Panegyrica, Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Domino ANDREÆ Comiti A LESZNO, Dei et Apoſtolicae ſedis gratia, Epiſcopo Culmenſi, Procancellario Regni, cum à Senatu, Populoque Elbingenſi, pro Sereniſsimo ac Potentiſsimo Principe, IOHANNE CASIMIRO, Poloniae Sueciaeque Rege, iuramentum fidelitatis exciperet, dicta Elbingae in templo S. Nicolai, Anno 1649. die 18. April. 4.

IV.) Meta Vitae Humanae, ſeu Concio Funebris, in Laudem et Memoriam Perilluſtris et Admodum Reverendi Dn. LUCÆ GORNICKI, Praepoſiti, Officialis Generalis, et Adminiſtratoris

ris Episcopatus Varmiensis, Secretarii Regii, &c. conscripta. Anno 1651. Mense Augusto, die 30. Elbingae, Typis CORELLIANIS. 4.

LXXXVII.

PHILIPPI MELANCHTHONIS Epistola, de origine Gentis Henetae Polonicae, seu Sarmaticae, scripta est Kalendis Ianuariis anni MDLVIII. Subiunctaque VENCESLAI GRODECII, Equitis Poloni, Tabulae Geographicae, Descriptionem Poloniae finitimorumque Regnorum continenti: quae, anno eodem, *Basileae* ex officina IOANNIS OPORINI, folii magnitudine prodiit. Depromtam inde Epistolam illam, IOANNES MACINIVS, LEXICO suo LATINO POLONICO, *Regiomonti Borussiae* apud IOANNEM DAVBMANNVM, anno MDLXIV, foliis integris excuso, praemisit.

LXXXVIII.

MICHAEL, Cancellarius PAVLI A CIOLEK Episcopi † Crusvicensis: MARTINI GALLI, in conscribendo CHRONICO POLONIÆ, adiutor fuit. Collaudatus, à MARTINO ipso, in opere illo edito, p. 56,

et p. 79. Genus MICHAELIS adhuc ignoratur.

† Qui, anno MCXI, de vita decessit: memorante IOANNE DLVGOSSO. A quo perperam PAVLINVS vocatur.

LXXXIX.

✠ GEORGIUS MISCOVIUS, Canonicus Gnesnensis atque Cracoviensis: legum ecclesiasticarum atque civilium * peritia celeber: Gnesnensi Archipraesuli et Regni Poloniae Primati IOANNI LASCIO, in corrigendis veteribus, condendisque novis Statutis ** Synodalibus Provinciae suae, operam praeclaram navavit. Isque MISCOVIUS, à SIGISMUNDO SENIORE Poloniae Rege, ad corrigenda et ordinanda Regni sui Statuta ***: unà cum NICOLAO THASZYCIO atque BERNARDO MACIEIOVIO, Cracoviensi illo, hoc Sandomiriensi Iudice Terrestri: virisque aliis, patrii iuris publici atque privati usu benè exercitatis: adhibitus fuit.

* Iuris utriusque doctoris insignia ex Academia Bononiensi reportavit.

** Quae Cracoviae, MARCI SCHARFFENBERGII impensa, à MATHIA SCHARFFENBERGIO, MDXXVIII, forma 4, typis sunt excusa.

*** Quae, eadem in urbe, è typographeo HIERONYMI VIETORIS, MDXXXII, folii magnitudine prodierunt.

XC.

✠ PETRUS MISCOVIUS, elegantiorum ſtudiorum cultor, nobiliorumque ingeniorum fautor ſummus: cum Cracovienſis adhuc Canonicus * eſſet, CLEMENTEM IANICIUM, aetatis ſuae OVIDIUM, in deliciis habuit. Factus Praepoſitus Gneſnenſis atque Plocenſis, Decanusque Cracovienſis, et Magnus Poloniae Secretarius: Regni deinde Procancellarius: porròque Epiſcopus Plocenſis, IACOBUM GORSCIUM theologum atque oratorem illuſtrem, IOANNEMque COCHANOVIUM Latini ac vernaculi carminis principem, amore et familiaritate ſingulari eſt complexus. Creatus autem Cracovienſis Pontifex, ſine ANDREA PATRICIO, Polonorum tùm doctrina ac facundia clariſſimo, vivere nequiit: eodemque ſpatio temporis, IOANNI MICHAELI BRUTO Veneto, STEPHANI BATHOREI Regis hiſtorico, locum haud mediocrem inter amicos atque familiares ſuos dedit.

* MISCOVIUS ille, Cracovienſis adhuc Canonicus, unà cum IANICIO ſuo, Patavii LAZARUM BONAMICUM audivit. Reverſus in patriam: pro temporum rerumque ſuarum ſucceſſu: IANICIUM pecunia annua iuvit: GORSCIUM autem, Plocenſem primùm Canonicum, Cracovienſemque deinceps Archipresbyterum fecit. COCHANOVIO Poſnanienſem Praepoſituram Cathedralem à STEPHANO BATHOREO Rege impetravit: Sieciechovienſisque Coenobii Mona-

chis Benedictinis auctor suasorque fuit, ut COCHANOVIUM Abbatem suum declararent. COCHANOVIUS autem, à disciplina ecclesiastica abhorrens, dignitatem utramque nobilissimam recusavit. MISCOVIUS ille ipse PATRICIO in obtinendo Episcopatu Vendensi praestò fuit. BRUTUM nummis aureis vasisque argenteis donavit.

Hicce MISCOVIUS, ut Plocensis Praesul, augustae Domui Austriacae addictissimus: SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Polonorum morte exstincto: ad Regni Ordines, creandi novi Regis gratia congregatos, Latinam ut Poloni consueverant orationem habuit: eamque Cracoviae, Aprili mense anni MDLXXIII, forma 4, sine mentione typographi, in lucem egredi ** passus est. Qua suadere civibus suis vehementer est conatus, ut ERNESTUM Austriae Archiducem, MAXIMILIANI SECUNDI Caesaris filium, Regem eligerent. Is tamen ipse Antistes, HENRICUM VALESIUM, Polonorum Regem electum, Urbem Cracoviam ingredientem, omnium Ordinum Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lituaniae nomine, Latina oratione elegantissima excepit: quae à IACOBO GORSCIO Plocensi iam Canonico, praemissa sua ad PAULUM GLOGOVIUM Decanum Plocensem epistola, Cracoviae in officina MATTHÆI SIEBENEYCHER Cal. Mar. MDLXXIV, forma 4, publicata fuit.

** Quam, aevo noſtro, IOANNES CHRISTIANUS LüNIG, inter ORATIONES PROCERUM EUROPÆ, Parte I, p. 421 — 424, denuò produxit.

Epiſtolae Latinae, à PETRO MISCOVIO Epiſcopo Plocenſi, ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM, HENRICUMque VALESIUM, atque STEPHANUM BATHOREUM, Reges Poloniae: et ad Regni eiusdem Pontifices, alteriusque Ordinis Senatores ſcriptae: Ploсiae in Tabulario Cathedrali repoſitae, Suecico bello poſtremo deperierunt. Binas epiſtolas, à PETRO MISCOVIO Cracovienſi adhuc Decano Regnique Poloniae Procancellario, ad STANISLAUM HOSIUM S. R. E. Cardinalem et Epiſcopum Varmienſem datas: è codice HOSIANO, qui Gothanae Bibliothecae nunc proprius eſt, ERNESTUS SALOMON CYPRIANUS, in TABULARIO ECCLESIÆ ROMANÆ SÆCULI DECIMI SEXTI, p. 319 — 322, et p. 481 — 483, promulgavit. PAULI MANUTII, Italorum ſua aetate eruditiſſimi: PATRICIIque noſtri, et GORSCII: BRUTIque, atque aliorum virorum doctorum, ad PETRUM illum MISCOVIUM, communem ipſorum Maecenatem, epiſtolas percenſere: mihi nunc admodùm infirmo, viſuque deſtituto, nimis difficile eſt ***.

*** Quae

*** Quae nunc praetermitti à me debent: recuperato viſu, ſupplebo diligentiùs.

Lectu maximè digna ſunt, quae STANISLAUS LUBIENSCIUS, Antiſtes Plocenſis, in SERIE, VITIS, REBUSQUE GESTIS EPISCOPORUM PLOCENSIUM, p. 176 — 178, de PETRO MISCOVIO expoſuit: SIMON autem STAROVOLSCIUS, in VITIS ANTISTITUM CRACOVIENSIUM, p. 249 — 251, repetiit. Iuvabitque ea inſpicere, quae ANTONIUS MARIA GRATIANUS ****, in VITA IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS, praebita ſibi occaſione, de eodem MISCOVIO, Epiſcopo Plocenſi, p. m. 185 ſq., et 325, et 373 ſq., commemoravit.

**** Qui COMMENDONO Cardinali, in Legatione Polonica ampliſſima, à conſiliis et epiſtolis ſecretis: PETROque MISCOVIO, Plociae tùnc temporis Praeſuli, perfamiliaris fuit.

Cracovienſi in Pontificatu MISCOVIUS, renovatae Salutis anno MDXCI, diem ſuum obiit: cum annum ſuae aetatis ſextum atque octogeſimum ferè exegiſſet.

XCI.

ARNOLDVS MYLIVS, homo pereruditus: ſecretarius Cardinalis RADIVILII falſo * nuncupatus: Belga natione fuit.

Typographicamque artem, primùm Antverpiae **, et deinceps Coloniae Agrippinae, insigni cum laude exercuit. Coloniensis Vrbis senator factus: mortalitatem ibidem explevit, XV Kalendas Decembreis, anno CHRISTI MDCIV, aetatis *** LXIV. MYLIVS ille: PRINCIPVM ET REGVM POLONORVM IMAGINES AD VIVVM † EXPRESSAS. Quibus adiectae sunt breves singulorum historiae, et res praeclarè gestae: ut lectori et oculos et animum simul his, quasi speculo humanae vitae inspiciendo, pascere liceat. PRINCIPI GEORGIO ‡ RADIVILIO, S. R. E. TIT. S. SIXTI CARDINALI, EPISCOPO CRACOVIENSI ET DVCI SEVERIENSI, DEDICATAS. *COLONIÆ AGRIPPINÆ* typis GODEFRIDI KEMPENSIS: anno reparatae Salutis humanae MDXCIIII, mense Martio: folii magnitudine emisit. MYLIIque eiusdem cura et impensa: MARTINI BRONIOVII ‡ de Biezdzfedea, bis in Tartariam, nomine STEPHANI PRIMI, Poloniae Regis, Legati TARTARIÆ DESCRIPTIO, antehac in lucem nunquam edita, cum Tabula Geographica eiusdem Chersonesi Tauricae. *COLONIÆ AGRIPPINÆ*, ex officina BIRCKMANNICA, anno MDXCV, pari forma exiit. Est opus utrumque nitidissimum: meritòque in rarissimis numerandum.

* In

* In MVSEO POLONO: quo Princeps IABLONOVIVS, Palatinus Novogrodenſis, nos beavit: p. 162.

** Amiciſſimus ABRAHAMI ORTELII, coſmographi nobiliſſimi, fuit. Cuius rogatu, hicce MYLIVS, antiqua regionum, inſularum, urbium, montium, ſylvarum, pontium, marium, fluviorum, et fontium nomina: recentibus eorundem vocabulis explicata: THEATRO ORBIS TERRARVM, ab ORTELIO ipſo, Antverpiae, MDLXX, forma Atlantica publicato, appoſuit.

*** Narrat haec paulo fuſius IOANNES FRANCISCVS FOPPENS, in BIBLIOTHECÆ BELGICÆ Tomo I. p. 99 ſq.

† STVDIO AC SVMTV SVO PROCVRATAS.

‡ Cuius imago, in fronte huiusce operis, eſt collocata.

‡ Vide ſupra BRONIOVIVS: ſub Numero XIX.

XCII.

IOANNES MYLIVS *Libenrodenſis Thuringus*, Poëta non ignobilis, in Poloniam à viro principe, GREGORIO CHODKIEVICIO, Vilnenſium Caſtellano atque Grodnenſium Praefecto, adductus: filiorum eius, ANDREÆ et ALEXANDRI, ſtudia moresque rexit. Quibus etiam, in peregrinatione Germanica, comes ac cuſtos additus fuit. Viennenſi in aula, à MAXIMILIANO II, Romanorum Imperatore, adeptus eſt Poëtae Laureati inſignia. Penes nos ſunt:

I.) In Epiphaniam Domini Elegia IOANNIS MYLII *Libenrodensis*. *CRACOVIÆ* anno Salutis humanae MDLX. sine indicio Typographi. 4.

Recusa, in eius POEMATIBVS, p. 143—153.

II.) Carmen Elegiacum in Nativitatem et Circumcisionem IESV CHRISTI Salvatoris. Autore IOANNE MYLIO *Libenrodensi*. *CRACOVIÆ* LAZARVS ANDREÆ excudebat anno Salutis humanae MDLXI. 8.

Editum denuò, in ipsius POEMATIBVS, p. 126—143.

III.) Divina gratia Imperante SIGISMVNDO AVGVSTO, Polonorum Rege Potentissimo, Magnoque Lituaniae Duce, &c. Victoria de Moschis reportata per Magnificum Dominum GREGORIVM CHODKIEVICIVM, Castellanum Vilnensem et Capitaneum Grodnensem, stipendiariique militis supremum Ductorem: celebrata versibus heroicis. Addita est Victoris, ad Filios suos, de conflictu Epistola. His accesserunt Elegiae III. Vna, ad Magnificum D. GEORGIVM CHODKIEVICIVM, legatione Moschovitica perfunctum. Altera, ad Magnificum D. IOANNEM CHODKIEVICIVM, Samogitiae Praesidem. Tertia, ad Magnificum D. PHILONEM KMITAM, Equitem bellicosum et strenuum. Autore IOANNE MYLIO *Libenrodensi*. *VIENNÆ AVSTRIÆ* ex Officina MICHAELIS ZIMMERMANNI anno MDLXIIII. 4.

Repetitum est heroicum carmen: unà cum Victoris Epistola: in MYLII POEMATIBVS, p. 337—346. Elegiae, ad GEORGIVM atque IOANNEM CHOD-

CHODKIEVICIOS, PHILONEMque KMITAM, iisdem in POEMATIBVS, p. 346—353, locum ſuum ſunt aſſecutae.

IV.) IOANNIS MYLII *Libenrodenſis*, Poetae Laureati, CATO GRÆCOLATINVS. Praecipua Chriſtianae pietatis Capita. Μελέται D. ANDREÆ et D. ALEXANDRI CHODKIEVICIORVM, illuſtrium Magni Lituaniae Ducatus Equitum. Omnia in gratiam ſtudioſae Iuventutis publicata. *LIPSIÆ* IOANNES RHAMBA excudebat anno MDLXVIII. 8.

Hocce opuſculum, POEMATIBVS ſaepè memoratis, p. 587—636, eſt inſertum.

Exſtant huiusce MYLII carmina, vario genere, complura: in VLADISLAVM Polonorum et Hungarorum Regem: IOANNEM ALBERTVM et SIGISMVNDVM PRIMVM, Poloniae Reges inclytos: SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem Poloniae, eiusque uxorem CATHARINAM AVSTRIACAM: IACOBVM VCHANSCIVM Archiepiſcopum Gneſnenſem: STANISLAVM MISCOVIVM Cracovienſem, Principem NICOLAVM RADIVILIVM Vilnenſem, ALBERTVM LASCIVM Siradienſem, Palatinos: STANISLAVM MACIEIOVIVM Sandomirienſem, NICOLAVM TREBVCHOVIVM Gneſnenſem, IO-

ANNEM LVTOMIRSCIVM Ravenſem, Caſtellanos: VALENTINVM DEMBINSCIVM Poloniae Cancellarium ſupremum: PETRVM MISCOVIVM Regni Procancellarium: EVSTACHIVM WOLOWICIVM Magni Lituaniae Ducatus Procancellarium, Aulaeque Mareſchalcum: FRANCISCVM CRASSINIVM Polonorum Regis in Aula Caeſarea Legatum, atque STANISLAVM CARNCOVIVM honore eodem functum: inque alios Poloniae Primores, bonis litteris, ac viris doctis, temporibus iis amiciſſimos, ſcripta. Quae, POEMATVM ſuorum Volumini maiori immiſta: *Lipſiae*, anno adhuc MDLXVIII, forma 8, in lucem publicam prodierunt.

Leguntur que: in IANI GRVTERI DELICIIS POETARVM GERMANORVM, Parte IV. p. 883—916: IOANNIS MYLII *Libenrodenſis* IERONIKAI, id eſt, SANCTI CHRISTIANORVM MILITES, divinitus victoriis ornati: ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Polonorum Regem.

MYLIVM iſtum, extremo vitae ſuae tempore, *Ienenſi* in Academia, Graecas litteras publicè docuiſſe: ibique diem obiiſſe ſuum, quinto Nonas Iulii, MDLXXV: IOANNES

ANNES CASPAR ZEVMERVS, in VITIS PROFESSORVM IENENSIVM, Claſſe IV, p. 34, annotavit.

XCIII.

NICOLAVS MYLONIVS, Germanus natione, collegiique in Vrbe Roma Germanici alumnus fuit: nequaquam verò, in numerum Patrum Societatis IESV *, recipi curavit. Perductus ab ANTONIO POSSEVINO, Societatis IESV ſacerdote illuſtri, in *Sueciam* atque *Gothiam*: excolendis illis Regionibus, per annos plures, optimam dedit operam. Retrò unde per Pruſſiam Sarmaticam vertens: à Vladiſlavienſium Praeſule, HIERONYMO Comite ROZDRAZOWSCIO, in Vrbe *Gedanenſi* Vicarius generalis, atque Praepoſitus apud Divam virginem MARIAM, fuit conſtitutus. Non à MYLONIO ipſo profectae, ſed cura eius ** in lucem editae ſunt: RESPONSIONES AD VIRI CVIVSDAM PII SEPTENTRIONALIS INTERROGATIONES: Qui de ſalutis aeternae comparandae ratione, ac de vera Eccleſia cupiebat inſtitui. *VILNÆ*, typis Illuſtriss. Dñi D. NICOLAI CHRISTOPHORI RADIVILI &c. Supremi M. D. L. Mareſchalci. Anno MDLXXXI. forma 12. ***. Auctorem verum huiusce opuſcu-

opuſculi, ſeſe ipſe eſt profeſſus ANTONIVS POSSEVINVS, in APPARATVS SACRI Tomo II. p. 153. E quo maximè ea didicimus: quae expoſuimus de MYLONIO. Quem *Gedani*, decimo Kalendas Novembreis, anno Domini MDCXI, aetatis autem LXVI, fato perfunctum: inque Olivenſi Coenobio honorificè ſepultum: SIMONIS STAROVOLSCII MONVMENTA SARMATARVM, p. 340, teſtantur.

* Malè Ieſuita Ingolſtadienſis à IOECHERO vocitatus, in LEXICI BIOGRAPHICI LITTERARII, lingua Germanis vernacula conſcripti, Tomo III. p. 794.

** Quemadmodum inſcriptio opuſculi apertè ſignificavit.

*** Recuſae deinde INGOLSTADII, per DAVIDEM SARTORIVM, MDLXXXII: ibidemque, per WOLFGANGVM EDERVM, MDLXXXIII, typis iterum exſcriptae, POSSEVINI nomine praefixo: eadem forma.

GEORGIUS MYSZKOWSKI, vide MISCOVIUS.

PETRUS MYSZKOWSKI, vide etiam MISCOVIUS.

XCIV.

✝ DEMETRIUS NAPRAGUS Hungarus, ut Cathedralis Praepoſitus * Agrienſis, Hungariae temporibus difficillimis,

mis, Regni illius Ordinum Illuſtrium oratorem praecipuum, apud SIGISMUNDUM III Poloniae Sueciaeque Regem, et Regni Polonici Ordines, pro dignitate Gentis Hungaricae egit. Eſt in publico muſeo ZALUSCIANO: Hungariae Periclitantis Legatorum **, Reuerendi Domini DEMETRII NAPRAGI, Eccleſiarum Agrienſis et Aradienſis Maioris Praepoſiti, et Generoſorum Dominorum NICOLAI ZOKOLII de Kis Varda et MICHAELIS KELLEMESI Vicecomitis Comitatus Sáros: ad Sereniſſimum Potentiſſimumque SIGISMUNDUM TERTIUM Poloniae et Suetiae Regem, Magnum Ducem Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Livoniae, Samogitiaeque: et ad Inclytos Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae &c. Ordines: Oratio, in Comitiis Generalibus Cracoviae habita, die II Menſis Martii, Anno Domini MDXCV. *Cracoviae*, in Officina LAZARI, Anno eodem, typis excuſa, 4. Quam, inventu perdifficilem: mox iuxtà exemplar Cracovienſe NICOLAUS REUSNERUS, in SELECTISSIMARUM ORATIONUM ET CONSULTATIONUM, DE BELLO TURCICO, VARIORUM ET DIVERSORUM AUCTORUM, Voluminis Tertii Parte Altera, p. 24—38, repetiit: poſteaque ex STEPHANI OSTROSITH de Gilletincz, Sacrae R. H. Coronae Duumviri, Codice manu exarato, MATTHIAS BEL Hungarorum ſaeculo noſtro omnium eruditiſſimus, in litterarii ſui APPARATUS AD HISTORIAM HUN-

HUNGARIÆ, Decadis I, Monumento X, p. 429—437, iterùm divulgavit.

* Tranſylvaniae Epiſcopus, circà annum MDXCIX, à RUDOLPHO SECUNDO Romanorum Imperatore atque Hungarorum Rege renunciatus.

** Legationem illam chronographus noſter, PAULUS PIASECIUS, Antiſtes Premiſlienſis, ſiluit. Quam NICOLAUS ISTHUANFFIUS, Hungariae Propalatinus, in REGNI HUNGARICI HISTORIA Lib. XXIX, p. m. 398, breviter ſed accuratè expoſuit. A quo tamen NAPRAGUS, princeps legationis, vitioſè NAPRADIUS eſt vocatus.

XCV.

NICOLAVS DE BLONIE, vide BLONIE.

✠ NICOLAVS POLONVS, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Archidiaconus, primus omnium Polonorum, juris pontificii ſcientia uſuque innotuit. Patavino in Gymnaſio, magiſtrorum ac diſcipulorum nobilitate iam eſfloreſcente, ſtuduit. Cui NICOLAVS ille, Rectoris * honore conſpicuus, anno reparatae Salutis MCCLXXI, ipſe praefuiſſe: ab Æmonienſi Antiſtite, IACOBO PHILIPPO TOMASINO, in Operis admodùm jucundi rariùsque obvii DE GYMNASIO PATAVINO editi, Libro IV, p. 359, perhibetur. Miechoviae, in Bibliotheca Canonicorum Regularium Ordinis S. Sepulchri

chri Domini Hieroſolymitani: Summa decretalium per domnum *Nicolaum* archidiaconum Craccouienſem collecta: è codice vetuſtiori, per *Albertum* de *Peruſio* MCCCCLXVII, foliis integris deſcripta: perque *Thomam* de *Oſviecimo*, canonicum Sandomirienſem, in urbe Ferraria, MDXXXIV, decima tertia Auguſti, acquiſita: IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALVSCIO, Regni Poloniae adhuc Referendario Supremo, ab Ordinis illius Praepoſito Generali IACOBO PAVLO RADLINSKI, doctrinae ac virtutis laudibus ſaepè à nobis celebrato, Idibus Martiis anni MDCCXLVI **, oſtendebatur.

* Collegam huius muneris, IOANNEM DE MONTE LONGO, Archidiaconum Aquileienſem, habuit.

** Id, è ZALVSCII Praeſulis: CODICVM MANVSCRIPTORVM, alienis in Bibliothecis à ſe ipſo repertorum, INDICE ALTERO, p. 30. a. didici.

XCVI.

✝ THOMAS NIGER, Epiſcopus Scardonenſis: vir gravis et ipſa ſenectute venerabilis, prudentiaque atque eloquentia haud minùs, quàm doctrina varia, rerumque omnium Eccleſiaſticarum atque civilium uſu excellens: ab HADRIANO VI Romano Pontifice Maximo, ad SIGISMUNDUM I Regem Polonorum, tractan-

tractandae inter Regem illum et ALBERTUM Pruſſiae Magiſtrum pacis gratia, exſtirpandique in Polonia ac Pruſſia Luterani dogmatis cauſa miſſus, anni MDXXIII exordio, Urbem Cracoviam intravit. Quem SIGISMUNDUS Rex, ut parentem ſuum, excepit et habuit. Legationis eius commentarium STANISLAUS GORSCIUS, Canonicus Cracovienſis atque Plocenſis, in SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM Tomum VI, fol. 178. a. — 181. a, intulit.

XCVII.

IOANNES OSTROROGVS, è veterrimis potentiſſimisque Poloniae Comitibus genitus: Saeculi XV medio, Bononienſi in Academia, omnium eo tempore celeberrima, ſtudia litterarum tractavit. Ornatusque ibi iurium inſignibus: tanti honorem illum fecit, ut, adepta etiam dignitate Senatoria, in actis et litteris publicis, Doctoris iuris utriusque * titulo percupiverit compellari. Redux in patriam, mox à CASIMIRO IAGELLONIDE admotus eſt ad Rempublicam. Factusque Caſtellanus Medirecenſis, pacis atque amicitiae: inter CASIMIRVM IAGELLONIDEM Polonorum Regem, atque LVDOVICVM DE ERLICHSHAV-

HAVSEN Teutonici Ordinis in Pruſſia Magiſtrum Supremum: è Poloniae Primoribus, confector praecipuus exſtitit. Miſſusque et ipſe in Romanam Vrbem: PAVLO II Pontifici Maximo, Regis ſui nomine obedientiam praeſtitit: proque data ab eo, in Pruſſicae pacificationis negotio, ope atque opera ſingulari, verbis ampliſſimis gratias egit. Dictam tunc ab OSTROROGO orationem, primus omnium, IOANNES LASCIVS, magnus Poloniae Cancellarius, in COMMVNI INCLYTI REGNI POLONIÆ PRIVILEGIO, Fol. CL. b. ſq. publicavit. IACOBVS deinceps PRILVSIVS, inter STATVTA AC PRIVILEGIA REGNI POLONIÆ, pag. 740 — 743: atque IOANNES IANVSZOVIVS, inter REGNI STATVTA ATQVE CONSTITVTIONES, p. 889 — 891 repetierunt. STANISLAVS autem KONARSCIVS, in LEGVM, STATVTORVM, CONSTITVTIONVM, AC PRIVILEGIORVM REGNI POLONIÆ, Volumine I, p. 222 — 225 denuò produxit. IOANNES praeterea PISTORIVS, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomum I, p. 208 ſq.: LAVRENTIVSque MIZLERVS, in HISTORIARVM POLONIÆ SCRIPTORVM COLLECTIONIS MAGNÆ Tomum I, p. 328 — 330 intulerunt. OSTROROGVS ipſe, patriae ſuae iterùm redditus, meditatam à ſe, perſcriptamque ORDINATIONEM

REIPVBLICÆ POLONÆ, CASIMIRO IAGELLONIDI Regi in comitiis Regni generalibus exhibuit. Quam STANISLAVS GORSCIVS, Canonicus Cracovienſis atque Plocenſis, ab interitu vindicaturus, SIGISMVNDI PRIMI, POLONIÆ REGIS, ACTIONVM † Tomo XXII, p. 99 — 119 interſeruit. Exſtat adhuc Oſtrorogi: Comitum illuſtrium huiusce nominis domicilio priſco: IOANNIS Medirecenſis Caſtellani monumentum ‡ ſepulchrale. In quo: quod magnopere eſt mirandum: tempus mortis eius haud ſignificatur.

* Huius rei teſtimonia praebuerunt: IOANNES DLVGOSSVS, aequalis OSTROROGI, eiusque maximè amicus atque familiaris, in ANNALIVM POLONICORVM Volumine poſteriori, Lipſiae evulgato, p. 393. LASCIVS l. c. Fol. CXLVIII. b. PRILVSIVS p. 707. et 737. IANVSZOVIVS p. 799. et 884. IOANNES HERBVRTVS, in STATVTIS REGNI POLONIÆ, Samoſcii editis, p. 404. KONARSCIVS l. c. p. 202. et 218. et 220. PISTORIVS etiam p. 186. et 205. Ac denique MIZLERVS p. 301. et 326. et 327.

† Deeſt in ZALVSCIANA Bibliotheca publica Tomus ille. Quo tamen OSTROROGI ſcripturam comprehendi: auctor eminentiſſimus, STANISLAVS CARNCOVIVS, Vladiſlavienſis primùm Antiſtes, Gneſnenſisque poſtea Archipraeſul atque Regni Poloniae Primas, nos docet, in COMPENDIO RERVM GESTARVM SIGISMVNDI PRIMI, EX ACTIONVM REGIARVM COMMENTARIIS GORSCIANIS COLLECTO, nunquam autem foras dato, ſub anno MDXLIII.

‡ Deſcriptum à SIMONE STAROVOLSCIO, Primicerio Tarnovienſi, in MONVMENTIS SARMATARVM, VIAM VNIVERSÆ CARNIS INGRESSORVM, p. 506.

XCVIII.

XCVIII.

STANISLAVS OSTROROGVS, Caſtellanus Caliſſienſis, à SIGISMVNDO I Polonorum Rege, ad generale Concilium Lateranenſe: quod IVLIVS II Summus Pontifex indixit, LEO X autem continuavit: unà cum Gneſnenſi Archiepiſcopo atque Regni Poloniae Primate, IOANNE LASCIO, Orator miſſus eſt. Regique eidem, OSTROROGVS ille, BONAM SFORTIAM Mediolanenſem Principem ac Bari Ducem, ſponſam ex Italia adduxit. Eſt, inter manuſcriptos Codices ZALVSCIANOS, ad hiſtoriam patriae pertinentes, miſcellaneum Volumen * non exile: ordine CCXXV: cui p. 265 — 269 indita eſt ** Magnifici STANISLAI OSTROROGI, Caſtellani Caliſſienſis, Oratio ad Illuſtriſſimam Dominam ISABELLAM ARRAGONIAM, Ducem Barenſem: habita in poſtulatione Filiae eius, Illuſtriſſimae Dominae BONAE, in Matrimonium Sereniſſimi et Invictiſſimi Domini SIGISMVNDI, Poloniae ac Sarmatiae Regis. OSTROROGVM ipſum, circa annum MDXX, vita defunctum, CASPAR NIESIECKI tradidit in Catalogo Caliſſienſium Caſtellanorum, operis ſui Genealogici Volumini I, immiſto, p. 208.

* Quod olim, ad SIGISMVNDVM BENEDICTVM CHRZANOWSCIVM, Succamerarium Brestensem, pertinuit.

** Complexam eam SIGISMVNDI PRIMI ACTIONVM REGIARVM Tomo IV, p. 229 sq.: è memorato CARNCOVII COMPENDIO, sub anno MDXVII, conjicio.

XCIX.

STANISLAVS OSTROROGVS, Medirecensis Castellanus, Chelmensisque Praefectus, à cultu veteris Ecclesiae Romanae alienissimus, auctoribus autem novarum opinionum deditissimus, ANDREAM TRICESIVM, Poëtam illum nobilem et inclytum: sed priscae religionis ac disciplinae hostem, Praesulumque Poloniae obtrectatorem infestissimum: familiaritate ac beneficentia singulari est complexus, modisque omnibus * tuitus. OSTROROGVM hunc anno MDLXXIX adhuc vixisse, CASPAR NIESIECKI in nominati operis sui Volumine III, p. 526, retulit. Anno autem MDLXXXI humanis rebus iam fuisse exemtum, discimus è Testimonio, IOANNI IONÆ Moravo, Dominorum Comitum IOANNIS atque NICOLAI OSTROROGORVM: Filiorum Domini STANISLAI illustris memoriae: Praeceptori, ab Argentinensis Academiae Senatu, XV Kalendas Iunias anni MDLXXXI, dato. Publicatum illud est unà cum IOANNIS

NIS Comitis OSTROROGI oratione: de qua mox dicemus.

* PETRI PAVLI etiam VERGERII Istri, apostatae insignis: primi Ducis Prussiae ALBERTI SENIORIS, ac Palatini Vilnensis Principis NICOLAI RADIVILII, auspiciis: Prussiae primùm, et deinde Lituaniae, posteaque Poloniae regiones nobiliores ingressi, necessitatibus liberalissimè subvenit. Qui publicatum à se, cum annotationibus suis impudicissimis, CATALOGVM HAERETICORVM, Comiti huic OSTROROGO dedicavit.

C.

SIGISMVNDI III principatu, IOANNES * OSTROROGVS Palatinus Posnaniensis: STANISLAI Medirecensis Castellani filius: et eruditionis, et religionis laude, maximè viguit. Est, penes nos, herois illius: AD FILIOS SVOS, NICOLAVM ATQVE STANISLAVM, COMITES AB OSTROROG, ADMONITORIA EPISTOLA. Contra fraudulentiam Scripti editi, sub Titulo: Monita Privata Societatis IESV. *LEOPOLI* EXCVSA PER L. MALACHIOWICZ ANNO MDCXV. forma 4. Cui adiecta est Epistola peculiaris, annis novem priùs, ad NICOLAVM natu maiorem filium: in Samosciensi tùm Academia operam Latinis litteris ac liberalibus studiis navantem: scripta. Qua: quid Deo, Regique atque Patriae, et amicis, et sibi ipsi, et toti prorsus generi

ri humano, juvenis ille eximia ſpe, ſummaeque virtutis debeat: parens incomparabilis praeclarè explicavit.

* IOANNES ille, annis puerilibus, imbuebatur Reformatorum, ut vocant, dogmatis. Utebaturque, Argentinenſi in Academia, maximè IOANNE STVRMIO praeceptore. Teſtis huius rei locuples eſt: Oratio Illuſtris illius et Generoſi Domini, Domini IOANNIS Comitis ab OSTROROG: in Krylow, Grodzisko, et Miedzichod, heredis: reçitata, cum diſceſſurus Argentina, publicè Academiae, caeterisque Ordinibus valediceret, IX Martii, Anno MDLXXXI. Argentinae, anno eodem, per NICOLAVM WYRIOT, forma 4 excuſa. Orthodoxam poſtea religionem profeſſus: conſtantiſſimè in ea perſeveravit: natamque ſibi ſobolem, doctrina et pietate Catholica optimè inſtituendam curavit.

IOANNES idem OSTROROGVS opuſculum admodum iucundum: De Venatione cum canibus venaticis, ad VLADISLAVM, Principem Poloniae et Sueciae, Polonicè ſcriptum: Cracovienſi Typographo BASILIO SKALSKI, anno MDCXVIII, forma 4 commiſit excudendum. Quod, eadem in Vrbe, anno MDCXLIX, forma pari, à LVCA KVPISZ, typis iterùm eſt deſcriptum. Anno denique MDCXXII OSTROROGVS ille: Commentarium Expeditionis Valachicae, anno ſuperiore, à SIGISMVNDO III Polonorum ac Suecorum Rege, contra OSMANVM Turcarum Imperatorem factae, vernacula lingua compoſitum: IOANNI ROSSOWSKI, Typographo tunc Poſnanienſi, folii magnitudine exſcribendum dedit.

dit. Quo vix in lucem prolato: OSTROROGVS è vita exceſſit. Poſtremum ipſius opus ſupra fidem eſt rarum: nec ipſi quidem litteratori Polonorum principi, ZALVSCIO Kioviae Epiſcopo, viſum. Ego, menſe Septembri anni MDCCLXXI, Poſnaniae in Bibliotheca nobiliſſimi ac celeberrimi Collegii Societatis IESV deprehendi.

CI.

NICOLAVS OSTROROGVS, Regni Poloniae Pocillator, idemque Drohoviſcenſis atque Rohatinenſis Praefectus: IOANNIS Poſnanienſis Palatini filius: MARTIS aequè atque MINERVÆ ſtudiis inclytus, belli teterrimi ac perniciosiſſimi, à Rege Sueciae CAROLO GVSTAVO, Polonorum Regi IOANNI CASIMIRO illati, initio: Legatus à Ducibus Exercitus Polonici, ad Gedanenſem Vrbem, Regi ſuo fide ac conſtantia admirabili deditam, miſſus: quinto Kalendas Maias anni MDCLVI, nobilem coram Ordinibus illius Vrbis, in Praetorium convocatis, orationem * habuit. Quam, illo adhuc anno, ſine loci ac typographi nota, evulgatam: CHRISTIANVS ADOLPHVS THVLDENVS, HISTORIARVM EVROPICARVM, Enneadis Primae

 Libro

Libro Sexto, p. 213—215 inſeruit: IOANNES autem CHRISTIANVS LÜNIG, inter ORATIONES PROCERVM EVROPÆ, Parte II, p. 115—119 repetiit. OSTROROGVM illum, demortuum quadriennio ante bellum Suecicum: perperam LAVRENTIVS IOANNES RVDAWSKI, in HISTORIARVM POLONIÆ AB EXCESSV VLADISLAI QVARTI Libro III. p. 72 ſq. perhibuit. Sed tamen eius ingenium atque mores concinnè expreſſit. Quonam autem tempore, naturae debitum reddiderit: certò compertum non habemus.

* Qua eis, quo loco res Poloniae, Exercitusque Polonici ſint, exponit. Ducumque nomine, Gedanenſium ſententiam rogat: utrum expedire magis judicent, ſi Exercitus propiùs Vrbem ſuam moveat? an, ut longiùs ab ea, hoſtem à tergo adoriatur?

IOANNES PISARSCIVS inter ILLVSTRIVM POLONORVM ORATIONES VERNACVLAS, à ſe editas, Tomo I. p. 46—53 eam protulit: quam NICOLAVS ille Comes OSTROROGVS, anno MDCXXXIII, Regni tunc Subdapifer, creatus, in Comitiis inaugurationis VLADISLAI IV, Terreſtrium Nunciorum Mareſchalcus, nomine ipſorum, ad novum Regem habuit.

CII.

NICOLAVS PACIVS, è familia inter Lituanos nobiliſſima ditiſſimaque, Kioviae Pontifex, antequam à vera virtute, ſanaque Eccleſiae doctrina deficeret: IOANNIS CHODKIEVICII, Magni Lituaniae Ducatus

catus Mareſchalci ſupremi, rogatu: ARII novis ſectatoribus, qui maximè Lituanicas regiones conturbabant, opus eruditum ac pium oppoſuit. Quod ſic inſcriptum * eſt: ORTHODOXA FIDEI CONFESSIO, DE VNA EADEMQVE DEI PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI DIVINITATE, AC TRIBVS PERSONIS. Tam è ſcriptura ſacra, quam vetuſtiſſimis Eccleſiae doctoribus, ſummatim collecta. *REGIOMONTI BORVSSIÆ* in officina IOANNIS DAVBMANNI, Anno Domini 1566. 4. Praefixa operi huic eſt gravis ac ſancta, ad CHODKIEVICIVM Lituaniae Mareſchalcum Epiſtola: quam NICOLAVS PACZ Epiſcopus Kiovienſis, Breſtae Lituanorum, in conventu generali, die XXII Iulii, anno poſt natum CHRISTVM MDLXVI, manu propria ſua ſubſcripſit. Salutis anno MDLXIX, PACIVS ille, Kioviae adhuc Antiſtes, celeberrimis Regni comitiis Lublini interfuit. Lectique tum è Pontificio Ordine, VALERIANVS SVSCOVIVS Epiſcopus Vilnenſis, atque NICOLAVS PACIVS Kiovienſis, fuerunt **: qui unà cum delectu Senatorum atque Nobilium ex Ordine profano, Polonorum cum Lituanis VNIONEM perpetuam conficerent. Poſtea verò PACIVS: GEORGII maximè WICELII occulti ZWINGLIANI, inter Poloniae ac Lituaniae Proceres annis ſuperioribus verſati, artibus ir-

retitus: uxorem duxit. Dimiſſoque Kioviae Pontificatu: impetratum Breſtenſis Caſtellani locum, in Senatu Regni, tam diu tenuit; donec eum SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, Pontificis Summi ac Sanctiſſimi, PII QVINTI monitu gravi, *** juberet abeſſe à publico conſilio. A BERNARDO MACIEIOVIO atque MARTINO SISCOVIO Vrbis Cracoviae Pontificibus: GEORGIOque ZAMOSCIO Praeſule Chelmenſi: PACIVS hicce, ut Pſeudoëpiſcopus, in numero auctorum damnatorum poſitus **** fuit. Scripta enim ipſi aliqua attribuuntur: quibus Romanam Eccleſiam atque Pontificem Maximum oppugnare fuerit auſus. Obiiſſe eum anno MDLXXXIX: SAMVEL NAKIELSKI, in CHRONICO MIECHOVIENSI, p. 768, tradidit. BARTHOLOMÆVS autem PAPROCIVS, aetate PACIO aequalis, in opere praeclaro: quod menſe Iulio anni MDLXXXIV, DE INSIGNIBVS NOBILITATIS POLONÆ AC LITVANÆ, in lucem publicam ab ipſo eſt prolatum: p. 674, NICOLAVM PACIVM, Epiſcopum Kiovienſem: librorum multorum auctorem: CALVINIANÆ autem ſectae addictum: rebusque humanis magis, quam divinis deditum: fato iam functum, memoravit.

* ZALVSCIVS MVSAGETA, Regni Poloniae primùm Referendarius ſupremus, poſteaque Pontifex Kiovienſis:

ensis: doctrinae atque sanctitatis, constantiaeque laudibus, aevo omni celebrandus: opus PACII diu quaesitum, è Bibliotheca HASÆANA, quae Bremae, Civitate Imperiali, mense Iunio anni MDCCXXXII, auctionis publicae lege divendebatur, pretio aequo obtinuit.

** Memoriae hoc proditum est, ab ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, in HISTORIÆ LITVANÆ Parte Altera, p. 487.

*** E SIGISMVNDI AVGVSTI ACTIONIBVS REGIIS nondum editis, STANISLAVS BVZENSKI, occasione praebita, id narravit, in Vita NICOLAI DZIERZGOVII, Archiepiscopi Gnesnensis atque Regni Poloniae Primatis: quae à LAVRENTIO MIŻLERO DE KOLOF, Actorum Litterariorum Regni Poloniae, Anni MDCCLV, Trimestri IV est inserta: p. 257. Praedicatus tamen idem PACIVS, quasi Praesul optimè de Ecclesia sua meritus, fuit à SIMONE OKOLSCIO, in KIOVIENSIVM ET CZERNIECHOVIENSIVM EPISCOPORVM SANCTÆ ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ ROMANÆ ORDINE ET NVMERO DESCRIPTO, p. 24. sq.: ex eoque, à FRANCISCO RZEPNICIO, in VITIS PRÆSVLVM POLONIÆ, Tomo III, p. 143. sq. Fuitque eius apostasia à scriptore utroque celata.

**** In iis INDICIBVS, quos recensuimus loco suo.

CIII.

NICOLAVS PACIVS, Samogitarum Praesul religiosissimus: Episcopatu illo, annis propè undecim egregiè administrato: possessionibusque eius, amplo patrimonio suo, adauctis: Vrbem Romam pietatis caussa accessurus, mortalitate Patavii interceptus est, anno Salutis reparatae MDCXIX. Relictam à se pecuniam omnem, supellectilem-

etilemque, atque Bibliothecam, Collegio Societatis IESV Crosensi, in Samogitiae dioecesi, à IOANNE CAROLO CHODKIEVICIO, militiae Lituanicae supremo Praefecto, magnificè condito, legavit. Collaudatus dignè fuit à IOANNE ARGENTO, in Epistolae prolixissimae: DE REBVS SOCIETATIS IESV IN REGNO POLONIÆ: ad SIGISMVNDVM III Regem scriptae, Editione Cracoviensi à FRANCISCO CÆSARIO adornata, p. 131. atque à GASPARE NIESIECIO, in operis sui Genealogici Volumine III. p. 541. sq.

CIV.

CASIMIRVS PACIVS, Smolensciae primùm ac deinceps Samogitiae Episcopus: Collectanea Constitutionum Synodalium Dioecesis Samogitiensis. Vilnae, typis Acad. Soc. IESV. Anno MDCXC. forma 4 promulgavit. Biennio post diem suum obiit. Singularia quaedam de ipso narravit FRANCISCVS RZEPNICIVS, in VITIS PRÆSVLVM POLONIÆ, Tomo III. p. 37. sq.

CV.

NICOLAVS STEPHANVS PACIVS, Vrbis Vilnae Pontifex: anno CHRISTI MDCLXXXIV demortuus: Vilnensis Academiae Maecenatibus optimis ac maximis annumeratur à IOANNE ANTONIO PREVSCHHOF, in Historia Academiae Vilnensis, p. 34.

CVI.

CHRISTOPHORVS PACIVS, Magni Lituaniae Ducatus Cancellarius supremus: isque Poloniae Regis IOANNIS CASIMIRI, Reique publicae Polonae, ad pacificationem Olivensem Legatus: Episcopi Vilnensis, NICOLAI STEPHANI, frater germanus fuit: Lituanorum aetate sua omnium doctissimus atque sapientissimus: patriarum rerum inprimis peritus: patriaeque suae, in summis periculis et extremis paenè discriminibus, amans maximè: animi fortitudine constantiaque, cum Romanorum eminentissimis conferendus. Quaecunque, tempore belli Suecici, à Regibus Poloniae et Sueciae: à Romanorum Imperatore: à Regibus Gallorum atque Danorum: ab Electore Brandenburgensi, Duceque

ceque Neoburgico, et Belgii Foederati Ordinibus: pacis inter Polonos ac Suecos procurandae cauſa, à die XII Octobris anni MDCLIX, usque ad diem Aprilis anni inſequentis, ſunt tractata: PACIVS illuſtris ille, lingua Polonica, diligentia maxima, in commentarium diurnum retulit. Cuius operis praeclari exemplar: à STANISLAO SKARSZEWSCIO, Cancellariae Regni tunc Praeſide, deſcriptum: ab eoque pertinentibus ad pactionis illius nobiliſſimae negotium Litteris publicis adornatum: publica Bibliotheca ZALVSCIANA aſſervat *. Mortuus eſt CHRISTOPHORVS PACIVS, Heros maximus, eodem anno: quo frater ipſius, Vilnenſium Antiſtes, vita ceſſit. De CHRISTOPHORI actionibus egregiis, virtutibusque ** divinis, plura proſecutus eſt IOANNES GOTTLOB BOEHMIVS, aevi noſtri ſcriptor politiſſimus candidiſſimusque, in ACTORVM PACIS OLIVENSIS INEDITORVM Tomo I. p. 266 — 268. Laudatumque CHRISTOPHORI DIARIVM *** PACIFICATIONIS OLIVENSIS: à ZALVSCIANÆ Bibliothecae conditore ad ſe transmiſſum: in Prooemio ACTORVM illorum elegantiſſimo, p. XI, ſq. primus omnium, BOEHMIVS accuratè recenſuit.

* Inter Codices MStos Polonicos, hiſtoriam patriae complectentes, ſub Numero CCCXXXII.

** PA-

** PACII huius, in IOANNEM CASIMIRVM Regem, benevolentiam fidemque singularem, testatur historicorum Poloniae sui temporis princeps, ANDREAS CHRYSOSTOMVS ZALVSCIVS, Episcopus Varmiensis, in EPISTOLARVM HISTORICO-FAMILIARIVM Tomo I. p. 154.

*** Quo Codice: adhibito TROZIO nostro interprete: BOEHMIVS optimè est usus, in illustrandis ACTIS OLIVENSIBVS.

Commemorari etiam oportet THEOPHILVM PACIVM. Cuius: Panegyricus, Serenissimo Principi VLADISLAO, Serenissimi et Potentissimi SIGISMVNDI III, Poloniae et Sueciae Regis, Filio: cum Theologicae disputationi in Academia habitae, celebri Amplissimorum virorum comitatu, Nonis Septembribus interesset: dictus. *CRACOVIÆ*, ex officina IOANNIS SZELIGÆ, Anno Domini MDCVIII. forma 4, prodiit. Quem, PACIVS ille, cognato atque alteri parenti suo, LEONI SAPIEHA, Magni Lituaniae Ducatus tunc Cancellario, curiaeque CONSTANTIÆ Reginae Magistro, bonarum artium, civiliumque omnium studiorum, in Lituania, instauratori summo, dedicavit.

CVII.

✝ PHILIPPUS PADNIEVIUS, alumnus atque familiaris PETRI TOMICII, Cracoviensis Episcopi, Regnique Cancellarii,

rii, maximè inclyti fuit. PADNIEVIUS ipſe, Canonici primùm, et deinde Decani Cracovienſis honore conſpicuus, Procancellarii munere in Regno Poloniae functus eſt. Quo tractu temporum, à SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniae Rege, ad CAROLUM Quintum * Imperatorem, FERDINANDUMque Primum Regem Romanorum, Legatus bis terve miſſus fuit. Premiſlienſem poſtea Epiſcopatum, tandemque Cracovienſem Pontificatum obtinuit.

* Qui PADNIEVII dicendi copiam, puritatemque, atque elegantiam valdè admiratus, dicere palàm non dubitavit: nunquam Polonum ſe meliùs Latinè loquentem audiviſſe.

ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, hiſtoriam ac litteraturam domeſticam complectentes, aſſervantur:

I.) Oratio ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM Poloniae Regem, in primo Eius Maieſtatis ad gubernacula Regni ingreſſu, nomine Canonicorum collegii Cracovienſis, à PHILIPPO PADNIEWSKI Canonico Cracovienſi habita XXIV Maii MDXLVIII: Volumini Miſcellaneo ſub Numero CCCXCV exiſtenti, p. 95. a — 99. a. inſerta.

II.) Reverendiſſimi Domini PHILIPPI PADNIEWSKI, Regni primùm Procancellarii, et deinceps Epiſcopi Cracovienſis Epiſtolae, ſub SIGISMUNDI AUGUSTI principatu, ad Regni Proceres partim Latinè, partim Polonicè ſcriptae: ſub numero CCXLVIII collocatae.

III.)

III.) PHILIPPI PADNIEVII EPISCOPI CRACOVIENSIS, DE VIRIS ÆTATIS SUÆ ET GENTIS ILLUSTRIBUS LIBER: Epiſtolarum Volumini praemiſſus.

PADNIEVIUS ille Regni Polonici, et Miniſter, et Antiſtes maximus: ſtudio litterarum, conſortioque Muſarum manſvetiorum, vita omni aſſvetus: doctiſſimos aetatis ſuae homines, ANDREAM PATRICIUM Polonum, PETRUMque ROYSIUM Hiſpanum, intimos familiares ſuos atque conſiliarios eſſe voluit. Locum iis proximum, in amicitia ſua, IACOBO GORSCIO atque IOANNI COCHANOVIO aſſignavit. STANISLAUM autem ORICHOVIUM, ob animi vehementiam nimiam, linguaeque proterviam, ferre minimè potuit. VIGILANTIUM GREGORIUM Samboritanum auctoritate atque liberalitate ſua multùm iuvit. Iuvenes nobiles, ſed pauperes, Cracoviae bonis litteris et artibus operam dantes, ut Senator, ut Epiſcopus, ut Pater nutrivit. Eosque, quos altioribus ſtudiis maximè aptos iudicabat, ſumtu ſuo Bononiam, Pataviumque miſit. Quibus morte immatura eſt ereptus, tertio Idus Aprilis, anni à CHRISTO nato MDLXXII. Egit de eo SIMON STAROVOLSCIUS, in VITIS ANTISTITUM CRACOVIENSIUM p. 241 — 245. PAULUS IOVIUS, Epiſcopus Nucerinus:

Italorum ſcriptor nobiliſſimus: in ELOGIIS VIRORUM LITTERIS ILLUSTRIUM, ſub ipſum finem huiusce operis, p. m. 145, de PADNIEVIO noſtro, mentionem honorificentiſſimam iniecit.

CVIII.

✝ IACOBUS de PARADISO *, natione Polonus, Sacri Ordinis Ciſtercienſis Monachus, ab antiquiſſimo et celeberrimo Poſnanienſis Dioeceſeos coenobio, Sileſiae vicino: cuius ipſe Alumnus fuit: cognomentum tulit. Cracovienſi in Academia theologiam atque ius pontificium docuit. Locumque inter Academicos eos Doctores ** habuit: qui anno CHRISTI MCCCCXXXI, in Arcis Cracovienſis conclavi maiori, VLADISLAO JAGELLONE Rege, Praeſulibusque et aliis Senatoribus Regni praeſentibus, Bohemicae Nationis Legatos heterodoxos confutarunt. Poſtea generali Concilio Baſileenſi, unà cum NICOLAO KOZLOVIO et SANDIVOGIO *** de CZECHEL, aliisque Theologis Polonis illa tempeſtate clariſſimis, interfuit. Eius Determinationis Theologicae, de Concilio ſuper Papam, autographum Cracoviae in Bibliotheca Academica invenitur: teſtante Codicum.

cum MSStorum illius Bibliothecae" Catalogo, p. 149 ****. Apographa Kioviensis Antistes, Comes ZALUSCIUS †, in Bohemiae atque Moraviae, Silesiaeque Bibliothecis, deprehendit. Quibus tamen auctoris ‡ nomen non appositum fuit.

* Distingvendus à IACOBO illo de Paradiso Cisterciensi; qui aetate aliquantò inferior, à SIMONE STAROVOLSCIO, in ELOGIIS ET VITIS CENTUM ILLUSTRIUM POLONIÆ SCRIPTORUM, Editionis Venetae p. 103 sq., atque à CAROLO DE VISCH, in BIBLIOTHECA SCRIPTORUM SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS, p. 165 sq., producitur. Neque confundendus cum IACOBO de Paradiso, Carthusiano Monacho, Erfordiensis Academiae Doctore: cuius opus, De Septem Statibus Ecclesiae, in Apocalypsi mysticè descriptis: et de Auctoritate Ecclesiae: et de eius Reformatione, in MELCHIORIS GOLDASTI, MONARCHIÆ S. ROMANI IMPERII, Tomo II, p. 1567 — 1575, publicatum fuit.

** Annotante IOANNE DLUGOSSO, in ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, sub anno MCCCCXXXI, p. 577.

*** Referente SANDIVOGIO ipso, in litteris ad IOANNEM DLUGOSSUM, Canonicum Cracoviensem, Basileae feria secunda post Pentecosten MCCCCXXXIV datis.

**** Sub vocabulo IACOBI de Paradiso, Cisterciensis.

† Inspice CODICUM MSSTORUM, à litteratissimo illo Antistite, alienis in Bibliothecis visorum ac perlectorum, INDICEM ALTERUM, p. 6, sub titulo CONCILII.

‡ Exemplar vetus: quod Comiti ZALUSCIO Olomucii in Tabulario Cathedralis Ecclesiae obvenit: sub ipsum finem, manu paullò recentiori, Studii generalis Cracoviensis doctori incerto tribuitur.

CIX.

† IACOBUS PARKOSKI de Storawicz, circa medium saeculi XV, Cracoviae ius civile publicè est professus. Ipsius Instituta Iuris ad SBIGNEUM Cardinalem, et Episcopum Cracoviensem in Catalogo Codicum MSStorum Bibliothecae Academicae Cracoviensis, p. 185, commemorantur.

CX.

† PAULUS FRANCISCUS PARYS, Latinè PARISIUS: è Masoviorum stirpe clarissima generatus: isque Societatis IESU Provinciae Polonae Presbyter, aevo suo eruditissimus, IOANNIque CASIMIRO Poloniae Regi acceptissimus: Ravensi in Collegio, elegantiores primùm litteras, singulasque deinceps philosophiae disciplinas est professus. Relictum ab ipso est, DE SARMATIÆ SITU, DEQUE SARMATARUM ORIGINE ATQUE PROGRESSIONE, opus elaboratissimum, forma 4, voluminibus tribus distinctum: publici quidem iuris nondum factum: quo tamen, Princeps IABLONOVIUS Palatinus Novogrodensis, NIESIECIUSque Societatis IESU Sacerdos, in describendis Gentis Polonicae primis

mis initiis, maximopere ſunt uſi. Eius Autographum integrum, à viro doctiſſimo, STEPHANO DAMALEWICIO, Regularium Canonicorum Caliſſi Praepoſito, Gneſnenſique in Archidioeceſi, cui Ravenſe Societatis IESU Collegium erat iniunctum, edendorum librorum Cenſore, XII Kalendas Maii, MDCLIX, examinatum atque approbatum: Praeſul Kiovienſis, IOSEPHUS ANDREAS Comes ZALUSCIUS, Cracoviae in Tabulario Societatis IESU Provinciae Polonae deprehendit. Qui operis ampliſſimi argumenta praecipua, in CATALOGO CODICUM MSStorum publicae Bibliothecae ſuae, fol. 539 a — 543 a, verbosè recenſuit. PARISII eiusdem COMMENTARIUS, DE VITA ET ACTIS S. BONIFACII, EX ORDINE CAMALDULENSI, RUSSIÆ APOSTOLI ET MARTYRIS: anno MDCLVIII, ut conjectura aſſequi poſſumus, manu ipſius propria conſignatus: è Bibliotheca Collegii Ravenſis, poſt Societatis IESU interitum, Varſaviam in ZALUSCIANAM Bibliothecam publicam perlatus, locum ſuum inter Codices MSStos, forma 4, ſub numero MMCCCCLXIV, nactus eſt.

CXI.

PEŁKA, Archiepiſcopus Gneſnenſis: vide FULCO.

✠ PEŁKA, Canonicus Divi FLORIANI apud Urbem Cracoviam, ſaeculi XV exitu, in Academia Cracovienſi theologiam moralem explicuit. Eſt illius Summa Vitiorum, inter Codices MSStos Bibliothecae Academicae Cracovienſis: ipſorum Catalogo, p. 186, indicante.

CXII.

✠ PHILIPPUS Epiſcopus Firmanus, NICOLAI III Romani Pontificis Maximi, ad LADISLAUM IV Hungarorum Regem, LESCONEMque NIGRUM Cracovienſem atque Sandomirienſem Ducem Legatus: quid in Hungaria, civilibus diſcordiis ac motibus vehementer tunc conturbata, praeſtiterit: è IOANNIS de THWROCZ *, ILLUSTRISSIMORUM HUNGARIÆ REGUM CHRONICO, Brunae Moravorum Urbe MCCCCLXXXVIII excuſo, fol. LXXII a, inque RER. HUNGARICAR. SCRIPTORUM Collectione BONGARSIANA iterùm publicato, p. 79 ſq., in SCHWANDTNERIANA autem,

tem, multò emendatiùs atque auctiùs exhibito, et ad uſum communem magis accommodato, p. 152: potiſſimèque ex ANNALIUM ECCLESIASTICORUM, poſt CÆSAREM Cardinalem BARONIUM, ab ODORICO RAYNALDO, Congregationis Oratorii Preſbytero, continuatorum Tomo XIV, ſub annis MCCLXXVIII, n. XXIII, p. 284: MCCLXXIX, n. XXX — XLI, p. 309 — 312: MCCLXXX, n. VIII — X, p. 317 — 319, cognoſces. Quid deinde in Polonia ** ac Pruſſia egerit: è RAYNALDI ANNALIUM ECCLESIASTICORUM Tomo eodem, ſub anno MCCLXXIX, n. XLII et XLIII, p. 312 ſq., atque è IOANNIS DLUGOSSI, ANNALIUM REGNI POLONIÆ Tomo I, ſub annis MCCLXXXII, p. 828, et MCCLXXXIII, p. 833 ſq., intelliges.

* Legationem Apoſtolicam, à PHILIPPO Epiſcopo Firmano, apud LADISLAUM IV Regem Hungariae, geſtam PETRUS RANZANUS, in EPITOME RERUM UNGARICARUM, à IOANNE SAMBUCO divulgata, fol. XL, à BONGARSIO poſtea in lucem reducto, p. 239, demùmque à SCHWANDTNERO diligentiſſimè recognita, p. 374, breviter ſtrictimque attigit. ANTONIUS BONFINIUS eam, in RERUM UNGARICARUM Decadis Secundae Libro VIII, Edit. Hanovien. p. 305, Colonien. p. 218, aliquantò fuſius expoſuit. Ambo auctores, aevi aequales, PHILIPPUM Legatum illum, Cardinalem Eccleſiae Romanae confinxerunt.

** Legationem Polonicam ignoravit FERDINANDUS UGHELLUS. Qui, in ITALIÆ SACRÆ Tomo II, p. 710, de PHILIPPO Epiſcopo Firmano, Apoſtolicoque in Pannoniam ad LADISLAUM Regem Legato, verba fecit.

CONSTITUCIONES EDITAS ET PROMULGATAS PER UENERABILEM PATREM DOMINUM PHILIPPUM DEI GRACIA FIRMANUM EPISCOPUM: APOSTOLICE SEDIS LEGATUM in Ungaria, Polonia, Dalmacia, Croacia, Rama, Seruia, Lodomeria, Gallicia, ac Cumania: de consilio et consensu archiepiscoporum, episcoporum, electorum, atque abbatum: prepositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, canonicorum, plebanorum et aliarum personarum, et clericorum: necnon capitulorum, tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum, secularium et regularium, Sti Benedicti, premonstratensium; Sti Augustini, predicatorum, minorum, et aliorum ordinum, congregatorum in concilio celebrato in castro Budensi Uesprimien̄ dioecesis per eundem dominum legatum: ad honorem et gloriam ste et indiuidue Trinitatis: ad reuerenciam et honorem Ste Romane ecclesie, et beatissimi ac sanctissimi patris domini Nicolai pape III, et successorum eius: ad reuelacionem, fulcimentum, ac defensionem fidei catholice et ecclesiastice libertatis: necnon reformacionem uite, morum et actuum cleri, et populi legacionis predicte: sub anno domini millesimo CC° LXXIX°, in diccione septima, die quarta decima intrante septembris, in quo uidelicet die determinatum fuit concilium supradictum: pontificatus prefati sanctissimi patris domini Nicolai pape III anno secundo: in IAROSLAI BOGORII, Archiepiscopi Gnesnensis, SYNODICO *** ECCLESIARUM POLONIE, p. 36—66, integras

gras reperies. Quas RAYNALDUS, è Vaticano atque Vallicellano Codicibus, mutilis **** et corruptis, deſcriptas, ANNALIUM ECCLESIASTICORUM Tomo XIV, p. 603—611, adjecit: indeque PHILIPPUS LABBEUS et GABRIEL COSSARTIUS, in CONCILIORUM COLLECTIONIS REGIÆ MAXIMÆ PARISIENSIS Tomum VII, p. 790—814, tranſtulerunt: CAROLUS autem PÉTERFFY Hungarus, Societatis IESU Provinciae Auſtriacae Sacerdos, in SACRIS CONCILIIS ECCLESIÆ ORTHODOXÆ HUNGARICÆ, p. 105—126, è Vaticano illo Manuſcripto, quo RAYNALDUS olim utebatur, iterùm produxit.

*** ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, ſub num. CCLXXV, repoſito.

**** Ut rectè et cordatè RAYNALDUS ipſe monuit.

CXIII.

SIGISMVNVDVS A PISIVTZ, cuius patriam atque genus ignoramus: De Pugna improſpera, apud Bicinam, Sileſiae oppidum Poloniae vicinum et finitimum, die XXIV menſis Ianuarii, anno Salutis MDLXXXVIII, inter MAXIMILIANVM Archiducem Auſtriae electum Polonorum Regem, atque IOANNEM ZAMOYSCIVM Regni Poloniae Cancellarium et Exercituum Praefectum ſupremum, conſerta: deque captivitate MA-

XIMILIANI Archiducis ſubſecuta: hiſtoriam MStam reliquit. Quam edendam, Hungarorum polyhiſtor inclytus, MATTHIAS BEL, in manibus habuit: ſicut, ex ipſius litterario APPARATV AD HISTORIAM HVNGARIÆ, Decad. I, Monum. VIII, p. 353, ſq. cognovimus.

CXIV.

IACOBVS PISO † bis Apoſtolica legatione, apud SIGISMVNDVM I Polonorum Regem, functus eſt. Primò, miſſus à IVLIO II Pontifice Maximo, ut Nuncius ſpecialis *, die VI menſis Ianuarii, anno MDX, Cracoviam advenit.

† Quem Piſonii: nunc Poſonii: Hungariae inferioris Urbe primaria, humilibus parentibus genitum: cognomen ab Urbe eadem accepiſſe, exiſtimamus.

* Sic ille, à IVLIO ipſo Summo Pontifice appellatur, in ea Epiſtola: quae infrà commemorabitur.

Legationis huius ſumma fuit: „Pontificem Maximum Principes Chriſtianos, bella inter ſe „gerentes, ad concordiam et pacem, et ad generalem expeditionem adverſus infideles ſuſcipiendam, „alios iam adduxiſſe, alios adducere conari. Idcircò Sanctitatem Suam hortari etiam ac rogare Sereniſſimum SIGISMVNDVM Regem Poloniae, „ut rebus ſuis, ac bellis, domi foriſque pacatis et „compoſitis, arma quoque unà cum Sereniſſimo fra-

„tre

„tre ſuo VLADISLAO Hungariae Rege, contra „BAIAZETEM Turcarum Imperatorem ſumeret, „et bellum ei in Thracia inferret.

Rex eam legationem ad Comitia Regni generalia, quae anno illo MDX Petricoviae poſt diem feſtum PVRIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ Virginis celebrabantur, referebat. In quibus, ea de re, loco primo conſultatum à Rege ac Senatoribus fuit. Tulitque PISO, Pontificis Maximi Legatus, id reſponſum. „Cupere Regem Poloniae vehemen„ter concordiae et pacis reconciliationem, inter Chri„ſtianos Principes, opera Summi Pontificis confici. „Grato etiam admodum animo accepiſſe: Sanctiſſi„mum Dominum expeditionem generalem adverſus „Turcas orthodoxae fidei hoſtes adornare. De qua „tamen propter implacabilia odia et diſcordias Prin„cipum domeſticas: quibus ipſi ſeſe exercerent atque „exagitarent: parum boni Regem Poloniae ſperare. „Quare periculoſum nimis eſſe, Hungariae et Polo„niae regnis tantam Turcici belli molem imponere: „caeteris Principibus vel otio torpentibus, vel dome„ſtico bello inter ſe contendentibus. Neque Regem „Poloniae egere iſta Summi Pontificis cohortatione; „cum Maieſtas Sua iam aſſidua bella cum Ethnicis „et Schiſmaticis ſubiret: et pro reliquis Chriſtianis, „qui poſt tergum eius ſecuri ſederent, ſcutum ſeſe „opponeret. Quod ſi verò ea ipſa generalis expe„ditio progreſſus aliquando ſuos haberet: curaturum „etiam Poloniae Regem, ne poſtremus inter alios

„Prin-

„Principes Christianos in adiuvando Summo Pontifi-„ce iudicetur." Cognita habemus haec à SIGISMVNDI PRIMI, POLONIÆ REGIS, ACTIONVM, à STANISLAO GORSCIO, Canonico Cracoviensi atque Plocensi collectarum, Tomo I. p. 55 sq.

Accidit eo tempore, ut PISO ille Legatus Apostolicus, VITUSque de FÜRST MAXIMILIANI Caesaris apud SIGISMVNDVM Regem Orator, Cracoviae in Divae MARIÆ Virginis Basilica, loco eo convenirent: quem, inter divina, Vrbis illius Consules solent occupare. Ubi tunc Pontificis Maximi Legatus, per Caesaris Oratorem, sede eminentiori pulsus est. Respondit VITUS, dum postea hac de re argueretur: Romano Caesari honorem primum deberi. Praeterea PISONEM, non Pontificis Legatum cum plena potestate: sed Nuncium simplicem agere. Traditum id est memoriae à IODOCO sive IVSTO LVDOVICO DECIO, qui SIGISMVNDO Regi tunc erat ab epistolis secretis, in commentario suo, DE SIGISMVNDI REGIS ILLIVS TEMPORIBVS, anni MDX principio. PISO quidem à Rege Polonorum, ad ipsius fratrem VLADISLAVM, Hungarorum Regem, ea ratione profectus est: ut Principem illum, pro-

pronum ad bellum contra Turcas gerendum, adhortatione ſua confirmaret. Autumni autem initio, in Vrbem rediiſſe: Epiſtola illa teſtatur, quam IVLIVS II ipſe Maximus Pontifex, ad SIGISMVNDVM I Regem Poloniae, die x menſis Septembris, anno MDX, exaravit: GORSCIVSque Canonicus, SIGISMVNDI PRIMI REGIS ACTIONVM Tomo I. p. 154 ſq. inſeruit.

Altera legatio Polonica huic PISONI, anno MDXIV, à LEONE X Pontifice Maximo fuit demandata. Venit PISO, menſe Iulio huius anni, Vilnam, Lituanorum Vrbem praecipuam. Ubi tùm SIGISMVNDVS I Rex Polonorum expeditionem bellicam, contra Magnum Moſcorum Ducem BASILIVM, IVANI filium, acerrimè apparabat.

PISO tunc à Pontifice Maximo, negotium ingens, et ſupra vires ſuſceperat: ut DECIVS ** ait. Commiſſum enim ipſi erat, ut SIGISMVNDVM BASILIO reconciliaret: foedusque novum, inter Principes utrosque, efficeret. Sed SIGISMVNDVS Rex nullo modo potuit à bello iuſto avocari.

** Sub anno MDXIV, fol. LXXXVIII.

PI-

PISONE ipſo, Legato Pontificio, adhuc praeſente, Rex magnanimus ipſo die DEIPARÆ Virginis natali, victoriam nobiliſſimam è Moſcis reportavit. Scripſit et ipſe PISO, ad IOANNEM CORITIVM, Polonorum ſibi amiciſſimum, Romae tunc exiſtentem, comtam et elegantem EPISTOLAM, DE CONFLICTV POLONORVM ET LITVANORVM, CVM MOSCOVITIS. Quae, ſtatim in Vrbe, forma 4, typis nitidis eſt excuſa. Inſequenti autem anno, videlicet MDXV, *Baſileae* apud IOANNEM FROBENIVM, cum nonnullis aliis, argumenti eiusmodi opuſculis, forma ſimili, lucem denuò adſpexit. Poſteaque ab ALEXANDRO GVAGNINO, in RERVM POLONICARVM Tomum III, p. 515 — 525: atque à IOANNE PISTORIO, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomum III, p. 1 — 4 illata fuit.

Eandem victoriam PISO ille, Elegia non inculta celebravit. Quae, anni MDXV initio, in Vrbe Roma, à Regni Poloniae Primate IOANNE LASCIO, Regio ibi tunc Legato: unà cum IOANNIS DANTISCI, ANDREÆque CRICII, atque BERNARDI VAPOVII, aliorumque clarorum virorum carminibus, in caedem Moſcorum ſcriptis: forma 4, eſt publicata.

PISO

PISO hicce Apoſtolicus Legatus, Polonorum Genti gratus admodum et acceptus fuit. Collaudatus à GORSCIO atque DECIO, ut vir inſignis ac doctus. Benignè à SIGISMVNDO Rege dimiſſus: regièque donatus.

CXV.

✠ IACOBUS ille PISO, Hungarus: Romano Pontifice Maximo, LEONE X, humanis rebus exemto: in Regis Hungariae atque Bohemiae, LUDOVICI II, gratiam atque familiaritatem * intimam ſeſe inſinuavit. A quo, ad Regni utriusque negotia, ante omnes adhibitus: opimaque ac nobili S. SIGISMUNDI Praepoſitura in Hungaria donatus fuit. Eiusque Regis nomine, apud SIGISMUNDUM I, Polonorum Regem, Magnumque Lituanorum Ducem, anno MDXXIII ineunte, legationem ** ſecretam obivit de Bohemicis rebus maximis.

* Patet hoc, è SIGISMUNDI I Regis Poloniae, ad LUDOVICUM II Hungariae et Bohemiae Regem, et ad Status Regni Bohemiae, Epiſtolis, anno MDXXIII ſcriptis. Quae, Miſcellaneo Volumini MSSto, ordine CCXXVI, fol. 23 b. et fol. 305. b, ſq., ſunt inſertae.

** Quam STANISLAUS GORSCIUS, Cracovienſis atque Plocenſis Canonicus, in SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM Tomo VI, fol. 201 b — 216 a, accuratè et ſuſè expoſuit.

CXVI.

✠ BENEDICTUS de POSNANIA, saeculi decimi quinti scriptor, Vratislaviae, Silesiorum urbe principe, Ecclesiae illius, quae à S. SPIRITU cognominabatur, Praepositus fuit. Confectum ab ipso, luci autem publicae nunquam expositum, Chronicon Polonicum, Prutenicum, Slesiacum et Hussiticum, Vratislaviae quondam in RHEDIGERIANA Bibliotheca, manuscriptis codicibus benè instructa, exstitisse: ANALECTORUM SILESIACORUM, ab auctoribus anonymis lingua Theotisca editorum, Sectio I, p. 26, nos docuit.

CXVII.

✠ IOACHIMUS POSSELIUS Megapolitanus, Philosophiae ac Medicinae Doctor, Poloniaeque et Sueciae Regis SIGISMUNDI III Medicus atque Historiographus: Gedanensi in Urbe, anno CHRISTI MDCXXIV, fato defunctus: HISTORIAM RERUM POLONICARUM ATQUE PRUTENICARUM, ab anno MCCCLXXXVII, usque ad annum MDCXXIII pertextam: Regioque Poloniae atque Sueciae Principi, VLADISLAO SIGISMVNDO, Electo Moscorum Impera-

peratori, dedicatam: luci autem publicae nondum expoſitam, reliquit. Cuius autographum elegantiſſimum: è CHRISTOPHORI Comitis de Bnin OPALINSKI, Praepoſiti Plocenſis et Ducis Sielunenſis, Bibliotheca profectum: ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, folii magnitudine, ſub numero CCLIX eſt repoſitum.

Idem POSSELII opus: per IOANNEM CAROLUM DACHNOWSKI * Roxolanum, Matheſeos in Poſnanienſi Gymnaſio Academico Profeſſorem publicum, anno Domini MDCLI, nitidiſſimè deſcriptum: perque eundem hiſtoricis monumentis variis illuſtratum: Bibliothecae quondam Ravenſis Collegii Societatis IESU proprium: nunc inter ZALUSCIANOS Codices manu exaratos, folii magnitudine, ſub numero CCLX aſſervatur.

* Prodiit DACHNOWSCII huiusce: IUDICIUM ASTROPOLITICUM, ad annum Domini MDCXL emboliſmalem. *LESZNAE*, apud DANIELEM VETTERUM, forma 4.

CXVIII.

✠ LAVRENTIVS PRAZMOWSKI: Maſoviae Ducibus ultimis, STANISLAO atque IANVSCIO, ſcorti illuſtris nequi-

tia è medio ſublatis: primus omnium, Palatinus Maſoviae, ac vicesgerens Maieſtatis Regiae eadem in Provincia, à Rege Polonorum maximo fortunatiſſimoque, SIGISMVNDO Primo, renunciabatur. ZALVSCIANOS inter Codices MSStos: qui de rebus Patriis tractant: ſub numero CLXXXVI, folii magnitudine reperitur: Conuentio generalis Varsoviȩ, pro Dominica Reminiscere, per Serenissimum Principem et Dominum, Dominum SIGISMVNDVM Dei gratia Regem Poloniȩ ac Magnum Ducem Lituaniȩ: Russiȩ, Prussiȩ, Masoviȩque, &c. Dominum et Hȩredem: ad colligendum et conscribendum Statuta et Consuetudines Terrarum Masoviȩ posita et deputata. Ac per Magnificos, Venerabiles, et Generosos, LAVRENTIUM DE PRASZMOWO Palatinum Masoviȩ et vicesgerentem Regiȩ Maieſtatis ——, et alios Consiliarios, Nunciosque Terrestres, ab omnibus Terris Masoviȩ, ad eandem Conuentionem, à Nobilitate earundem Terrarum, cum pleno mandato et informatione missos et deputatos, habita et celebrata: cum continuatione dierum sequentium ad Dominicam Lȩtare. Anno Domini MDXXXI. Mortuus eſt is PRAZMOVIVS, ſub anni MDXXXIII exitum: prout haud dubiè conjici poteſt è STANISLAI GORSCII, Actionum Regiarum SIGISMVNDI PRIMI, Tomo XV, p. 51 b., et 57 a.; ubi, de Statutis Masoviȩ, Maiestati Regiȩ per Magnificum Dominum PRASZMOWSKI

MOWSKI Palatinum; in Vrbe Cracouia traditis, ſingularia referuntur. Statuta quidem illa, BONÆ Reginae inſtinctu potiſſimo, fuiſſe ſuppreſſa: exemplari vetuſto, quod Plociae in Bibliotheca Ordinis Fratrum Praedicatorum ſervatur, manu paulò recentiore eſt adſcriptum.

CXIX.

IOANNES ANTONIVS PREUSCHHOFF Varmienſis, Societatis IESU Provinciae Lituanae Presbyter, ſaeculi huius initio, Vilnenſi in Academia philoſophiam Peripateticam tradebat. Exiit ipſius ſpecimen hiſtoriae Academiae Vilnenſis, cuius titulus: UNIVERSITAS VILNENSIS IAGIELLONICO — BATHOREANA, LAUREARUM ACADEMICARUM FLORIDA. *VILNÆ*, TYPIS UNIVERSITATIS SOCIETATIS IESU. ANNO MDCCVIII. Folio. Scriptum illud eſt valdè rarum.

CXX.

MELCHIOR PVDLOVIVS, Nobilis ille Polonus, de quo, in Volumine priori, N. LXXXIV. eſt expoſitum: praeter

opuſcula ibi memorata: celeberrimi viri, inque eloquentia atque in liberali omni doctrina facilè principis, STANISLAI ORICHOVII ROXOLANI CHIMAERAM, CONTRA STANCARI FVNESTAM REGNO POLONIAE SECTAM: *CRACOVIAE* PER LAZARVM ANDREAE, ANNO MDLXII, forma 4 excuſam: *COLONIAE*que apud MATERNVM CHOLINVM, anno inſequenti, forma 8 repetitam: Elegis Latinis eſt comitatus. Prodiit denique anno MDC, ſine loci ſignificatione, EPISTOLA DIDONIS AD AENEAM: EX HEROIDIBVS OVIDIANIS, in Elegos vernaculos tranſlata. MELCHIORE eodem PVDLOVIO auctore. forma 4.

CXXI.

✝ MARTINUS QVIATKOVIVS * de Rozice, Siradienſis Satrapiae Eques, externis in Academiis, cum artibus optimis, dogmata abſurda imbibit. Editaque propria Auguſtanae Confeſſionis Variatae interpretatione ** Polonica, Evangelicos ipſos mirum quantum offendit.

* Idem ille, qui litteris vernaculis KWIATKOWSKI pronuntiari maluit.

** Partim Regiomonti Boruſſorum, partim Lipſiae, ſine indicio typographi excuſam, MDLXI, 4. Accurate hanc interpretationem examinavit: vitamque QVIATKOVII,

KOVII, ac reliqua eius ſcripta concinnè enarravit, vir doctiſſimus, nobisque aliquando amicitia atque commercio epiſtolico coniunctiſſimus, IOANNES DANIEL HOFFMANN, in den Preuſziſchen Zehenden, Vol. III, p. 540 — 558. Nec minùs acriter et eruditè SYLVIUS WILHELMUS RINGELTAUBE, in dem Beytrage zu der Augspurgſchen Confeſſions-Geſchichte in Preuſſen und in Polen, p. 38 ſq., et 45, et 47 — 61, QVIATKOVII interpretationem Auguſtanae Confeſſionis Variatae percenſuit. Lectu etiam digna ſunt, quae DANIEL HENRICUS ARNOLD, in der Hiſtorie der Koenigsbergiſchen Univerſitaet, Parte II, p. 545 ſq., de QVIATKOVII interpretatione, protulit.

Nihilominùs QVIATKOVIUS iſte, ALBERTO SENIORI Marchioni Brandenburgenſi, primoque Duci in Pruſſia, conciliatus: unicum eius filium atque heredem, ALBERTUM FRIDERICUM linguam Polonicam docuit. Qua ferè tempeſtate, Totius Terrae Livonicae, ſicut olim fuit conſtituta, Deſcriptionem brevem et utilem, Regiae Maieſtatis Polonae Commiſſariis idiomate Polonico exhibitam, publicavit †: inventu nunc adeò difficilem, ut ne ZALUSCIO quidem Antiſtiti Kiovienſi, Polonorum litteratorum principi, unquam fuerit viſa. Suadente autem IOANNE DEMETRIO SOLIKOVIO, Regio tunc Secretario, et Commiſſario maximè ſpectato: Libellum vere aureum, latiſſimum uſum et maximam utilitatem Linguae Slavonicae fideliter demonſtrantem, ac exempla pietatis cum quarundam Genealogiarum brevi explicatione proponentem, ALBERTO FRIDE-

DERICO, ſecundo Duci in Pruſſia, Latino ſermone oblatum, luci expoſuit ††: fruſtrà itidem à ZALUSCIO Epiſcopo, in Pruſſia ipſa, quaeſitum.

† Regiomonti Boruſſiae, in officina IOANNIS DAUBMANNI, MDLXVII, 4.

†† Eadem in urbe, eademque in officina, MDLXIX, 4.

Nactus autem ZALUSCIUS Praeſul eſt librum longè rariſſimum, viriſque litteratiſſimis minùs cognitum ‡, cum eiusmodi inſcriptione: SERENISSIMORUM IAGELLONIORUM, POLONIÆ REGUM, A DIVO GEDIMINO MAGNO DUCE LITUANIÆ DESCENDENTIUM, VERA GENEALOGIA. Certo tempore nativitatum, incrementorum, connubiorum, ſucceſſionum, praeſtantiorum rerum geſtarum, viciſſitudinum. ſuceſſuum, obituum ac ſepulturarum, compendioſè illuſtrata per MARTINUM QVIATKOVIUM de Rozice, à proavo legitimum Regium Theſaurariadem. *REGIOMONTI BORUSSIÆ*, in officina GEORGII OSTERBERGERI, MDLXXVII, 4.

‡ Qui ipſum HOFFMANNUM, ſcriptorum noſtratium tam peritum, latuit.

Huic quidem libro praemiſſa eſt, ad Sereniſſimum atque Potentiſſimum Principem ac Dominum, D. STEPHANUM Primum, Dei gratia Monarcham et Regem Poloniae, Galitiae, ac Lodomiriae, Magnumque Ducem Lituaniae, Ruſſiae, totius

tius Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Podoliae, Podlachiae, Pomeraniae, Cassubiae, Livoniae, &c. Principem hereditarium Transylvaniae, Eundemque Comitem Siculorum, &c. praefatio prolixa: quae, ab ipso auctore, in Qviatkovo exili, ut vocat, praediolo suo, die XII mensis Februarii, anno Domini MDLXXVII, subscripta fuit. In qua, ille ipse QVIATKOVIUS: praeter opuscula alia, suo Marte confecta: duos libellos singulares: alterum, de vera Civili Nobilitate, alterum de libera et legitima Regali Electione, cum quadam Tabula methodica Chronicorum compendiosorum totius Prussiae, commemorat. Quos foràs educere nequiit.

Notandum illud adhuc existimamus: huncce QVIATKOVIUM, eorum in auctorum numero esse collocatum, quorum scripta legere, BERNARDUS MACIEIOVIUS atque MARTINUS SISCOVIUS Pontifices Cracovienses, GEORGIUSque ZAMOSCIUS Antistes Chelmensis, decreto publico prohibuerunt.

CXXII.

✠ IOANNES RADOMSKI, Nobilis Prutenus, Neidenburgensisque Ecclesiae

 Paro-

Parochus, ALBERTO SENIORI *, Marchioni Brandenburgensi, primoque Duci in Prussia, percarus perque familiaris fuit. Quo maximè ut opinamur suasore et impulsore, Augustanam Confessionem Variatam, Polonae consuetudini tradidit: binisque ferè mensibus citius **, quam MARTINI QVIATKOVII interpretatio in publicum egrederetur, Regiomonti Borussorum in typographeo IOANNIS DAUBMANNI, forma 4 promulgavit. De qua SYLVIUS WILHELMUS RINGELTAUBE, litteratura Polonica ac Prussica instructissimus, in dem Beytrage zu der Augspurgschen Confessions-Geschichte in Preussen und in Polen p. 45 — 47: 48 — 51: 53 — 61: 68 — 71, permulta disseruit.

* Cui arx Neidenburgensis, amoenissimo in monte sita, magnae voluptati fuit.

** Ipsa quidem die ANNUNCIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS, MDLXI. RADOMSCIANAM versionem, QVIATKOVII interpretatio die XIII mensis Maii, eodem adhuc anno, est subsecuta.

CXXIII.

+HIERONYMUS ROZDRAZOWSKI, Maior primùm Regni Poloniae Secretarius atque Cathedralis Praepositus Plocensis, deinceps autem Antistes Vladislaviensis, linguae Polonicae haud gnarus *, publi-

publica negotia omnia Latino ſermone tractabat. Orationes Latinè ab eo in Senatu Regni dictae: itemque Epiſtolae ** ab ipſo ad aetatis ſuae viros illuſtres, tàm Polonos, quàm externos, lingua eadem exaratae: Gedani, in Bibliotheca Collegii Societatis IESU à ROZDRAZOVIO illo conditi, oſtendebantur: Kiovienſi Praeſule, IOSEPHO ANDREA Comite ZALUSCIO commemorante, in INDICE CODICUM MANUSCRIPTORUM, alienis in Bibliothecis à ſeipſo inventorum ac perlectorum, p. 115. b.

* A pueritia enim, usque ad aetatem adultam, apud Gentes exteras verſatus, idioma patrium neglexit. Reprehenſusque ideò haud immeritò fuit à STANISLAO LUBIENSCIO, Epiſcopo Plocenſi, in OPERIBUS POSTHUMIS HISTORICIS, p. 250.

** Epiſtolae duae, à ROZDRAZOVIO Regni adhuc Secretario Maiori, ad STANISLAUM CARNCOVIUM Vladiſlavienſem tùm Pontificem ſcriptae, in EPISTOLIS ILLUSTRIUM VIRORUM à CARNCOVIO ipſo collectis, inque Urbe Cracovia evulgatis, p. 193 ſq., Lipſienſi autem in Civitate denuò editis, p. 1742 ſq., leguntur.

ZALUSCIANOS inter Codices, calamo deſcriptos, forma 4, ſub numero MMX, Eccleſiaſtici argumenti volumen miſcellaneum reperitur. Cuius dimidio priori, HIERONYMI Comitis à Rozdrazow ROZDRAZOWSKI, Epiſcopi Vladiſlavienſis, De Regendo Epiſcopatu Liber, gravitate et elegantia maxima confectus, exhibetur. Etiam SYNODUS DIOECE-

SANA VLADISLAVIENSIS, celebrata anno MDLXXXVI, menſe Septembri, praeſidente Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. HIERONYMO Comite à Rozdrazow, D. G. Epiſcopo Vladiſlavienſi et Pomeraniae. Aſſenſu et approbatione S. Sedis Apoſtolicae edita. *POSNANIÆ*, in Officina Typographica IOANNIS WOLRABI, anno Domini MDLXXXIX, forma 4, in ZALUSCIANA publica Bibliotheca aſſervatur.

ROZDRAZOVIUS Praeſul Romae, in anni ſancti MDC celebritate, mortalitatem ſuam explevit. Lectiſſimam atque ornatiſſimam Bibliothecam ſuam, ante diſceſſum ſuum, Vladiſlavienſi Eccleſiae Cathedrali donavit. Eius geſta à STEPHANO DAMALEVICIO, in VITIS VLADISLAVIENSIUM EPISCOPORUM, p. 411 — 422: à GASPARE NIESIECIO, in Genealogici operis ſui Tomo III, p. 890 — 893: atque à FRANCISCO RZEPNICIO, in VITIS PRÆSULUM REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITUANIÆ, Tomo II, p. 59 — 64, enarrantur.

Exſtabat Cracoviae, in Societatis IESU Domus Profeſſae Tabulario, VITA HIERONYMI COMITIS A ROZDRAZOW ROZDRAZOWSKI EPISCOPI VLADISLAVIENSIS ET POMERANIÆ, ab eius fratre germano, STANISLAO Preſbytero Societatis IESU Provinciae Polonae, opere

opere peculiari expoſita ***, typis autem nondum excuſa. Quae, cum Societatis IESU Inſtituto inclytiſſimo, periit.

*** Teſtante NIESIECIO, in opere adducto, p. 888. Qui Vitam eam oculis ſuis vidit legitque.

ZALUSCIANA in Bibliotheca, ſuperſtes eſt Legationis à IOANNE Hungarię Rege, ad SIGISMUNDUM Primum Regem Polonię et Magnum Ducem Lituanię, IOANNI ROZDRAZOWSKI **** Castellano Camenecensi, ex Buda, duodecima die mensis Iulii, anno Domini MDXXVII, commissę Fragmentum inſigne MS: à STANISLAO GORSCIO, Cracovienſi atque Plocenſi Canonico, in SIGISMUNDI PRIMI ACTIONUM REGIARUM Tomum IX, fol. 120. b. — 122. b., illatum.

**** Qui à NIESIECIO, in Camenecenſium Caſtellanorum Catalogo, eſt omiſſus.

CXXIV.

✠ IOANNES SACRANUS, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, idemque Theologiae doctor atque publicus in Academia Cracovienſi profeſſor: ALEXANDRI Regii Poloniae Principis et Magni Lituaniae Ducis inſtinctu, maximèque ALBERTI TABOR Vilnenſis Antiſtitis impulſu:

Elu-

Elucidarium errorum ritus Ruthenici, ineunte anno MD, composuit. Qui, sine loci ac typographi significatione, forma 4 maiori editus: posteaque auctorum variorum opusculis, DE RUSSORUM, MOSCOVITARUM, ET TARTARORUM RELIGIONE, SACRIFICIIS, NUPTIARUMQUE ET FUNERUM RITU, Spirae libera Civitate veterum Nemetum, per BERNARDUM ALBINUM, MDLXXXII, 4, coniunctim excusis, p. 184—219, insertus fuit. Is ipse SACRANUS, praescriptum à se Modum epistolandi, unà cum Epistolis exemplaribus, *CRACOVIÆ*, in officina HALLERIANA, annis MDVII, MDXII, MDXX forma 4 divulgavit. Eademque in urbe mortuus est, anno MDXXVII, die XV Novembris.

CXXV.

S. SALOMEAE REGINAE HALICIAE UITA: eodem ab auctore, à quo vitam Divae CUNEGUNDIS accepimus, composita: eodemque volumine comprehensa: ZALVSCIANOS inter codices MSstos existit. Eius initium: In nomine domini Amen. Incipit uita sancte SALOMEE anno domini M°CCCC° primo. Extrema pagina vitae huiusce, nunquam in medium productae, deficit. Vide etiam S. CUNEGUNDIS.

CXXVI.

CXXVI.

PETRVS SAMOTVLIVS, familia ortus vetuſtiſſima et inclytiſſima: conditique ab ea, atque cognominati oppidi Samotulii, in Poſnanienſi Palatinatu ſiti, dominus: idemque Poſnanienſium Caſtellanus, totiusque Poloniae Maioris Praefectus: ſub principatu CASIMIRI IAGELLONIDIS, praeter bellicam gloriam, civilibus etiam ſtudiis, librorumque optimorum amore, praecelluit. At tamen perperam CHRONICI POLONORVM, AB ANNO MCCCXXX, AD ANNVM MCCCCXXVI, auctor traditur, in BIBLIOTHECÆ IABLONOVIANÆ VOLVMINE I. p. 140: inque Principis IABLONOVII MVSEO POLONO, p. 102. Chronicon enim illud conſcriptum eſt ab ignoto auctore. Comparatum autem, anno MCCCCLXXI, in uſum proprium ſuum, à PETRO SAMOTVLIO, Heroe illo laudatiſſimo. Cuius rei, codicis manu exarati inſcriptio, teſtis eſt. Codex ipſe, induſtria maxima ſcriptus, et diligentiſſimè ad tempora noſtra ſervatus, fato benigno, ZALVSCIANÆ Bibliothecae publicae cimeliis acceſſit.

PETRVS hic SAMOTVLIVS, ille ipſe eſt, qui, ut Caſtellanus Poſnanienſis, Pacem

Pacem perpetuam, inter CASIMIRVM IAGELLONIDEM Regem Polonorum, atque LVDOVICVM DE ERLICHSHAVSEN Teutonici Ordinis in Pruſſia Magiſtrum Supremum, annó MCCCCLXVI confectam, ſubſcriptione ſua corroboravit.

CXVII.

✠ STANISLAVS SARNICIVS, Nobilis è Palatinatu Cracovienſi, Vittebergae MARTINVM LVTHERVM atque PHILIPPVM MELANCHTHONEM audivit. Redux in patriam ſuam, ab iis, qui Helvetiorum religionem novam profitebantur, Niedzviedenſis Eccleſiae propè Cracoviam Paſtor fuit conſtitutus. Ipſorumque conventibus Varſaviae atque Petricoviae, annis MDLXIII et MDLXV, intra Comitia Regni generalia actis, interfuit. Exſtant, in ZALVSCIANA Bibliotheca publica, SARNICII illius: De agnitione Dei veri, uniusque ac trini, Conciones tres: contra Italos advenas Arianos, in Vrbe Varſavia, anno MDLXIII, tempore Comitiorum, patrio idiomate dictae. *Cracoviae*, typis MATHIÆ VIRZBIETÆ deſcriptae, MDLXIV. 8. Adeſtque: Colloquium * Petricovienſe, de Deo in Trinitate uno: Chriſtianae ſalutis anno MDLXV, ante Dominicam Laetare: SIGISMVNDI

DI AVGVSTI, Regis Poloniae et Magni Ducis Lituaniae permiſſu, tempore Comitiorum, à STANISLAO SARNICIO, IACOBO SYLVIO, ANDREA PRASMOVIO, et CHRISTOPHORO TRETIO Orthodoxis, cum IOANNE NIEMOIEVIO, GREGORIO PAULI Breſinenſi, et GEORGIO SCHOMANO Antitrinitariis habitum. A SARNICIO ipſo, lingua vernacula expoſitum. Cracoviaeque, à MATHIA VIRZBIETA excuſum, MDLXVI. 4. Idem SARNICIVS poſtea, Reformatarum omnium Eccleſiarum Cracovienſi in Diſtrictu Senior electus, in ſynodo generali Sandomirienſi anni MDLXX, famoſiſſimum Conſenſum Eccleſiarum Polonicarum atque Lituanicarum, Auguſtanae et Bohemicae et Helveticae Confeſſionis, in Fide et Religione Chriſtianae, ſuo et aliorum Fratrum nomine ** ſubſcripſit. Aetate florente, cum IOANNE LASCIO Apoſtata, iam ſene in Poloniam reverſo, familiaritate concordiaque maxima vixit. Quem Pinczoviae demortuum, in funebri ſollemnitate, Latina oratione † laudavit. SARNICIVM illum ipſum, exordio anni MDLXXIII, fatis iam defunctum: IACOBI GORSCII, Cracovienſis Theologi atque Oratoris celeberrimi, ad PETRVM MISCOVIVM, Plocenſem ea tempeſtate Praeſulem Epiſtola ‡, Cracoviae XV Kalendas Martias eiusdem anni data, perhibet.

* Eſt

* Eſt liber ille ſummè rarus. Latuitque ANDREAM WENGERSCIUM, monumentorum talium alioquin gnariſſimum. Qui, in HISTORIA ECCLESIASTICA SLAVONICARUM PROVINCIARUM, p. 87: quaecunque de Colloquio Petricovienſi anni MDLXV eſt locutus: ex auctoris anonymi DIARIO nondum edito, atque ex ANTONII POSSEVINI ATHEISMIS HÆRETICORUM SUI TEMPORIS, Vilnae in typographeo IOANNIS VELICENSIS MDLXXXVI, forma 8 publicatis, hauſit. Isque WENGERSCIUS, eodem in opere, p. 413, SARNICII ipſius vitam breviter perquàm attigit, eiusque ſcripta minùs accuratè indicavit.

** Teſtatur id Conſenſûs iſtius Editio princeps: quae Latinè ac Polonicè eſt emiſſa: p. 19.

† Quae in lucem publicam non prolata fuit.

‡ Quam, in Memoriis miſcellis ZALVSCIANOS inter Codices MSStos, hiſtoriam ac litteraturam Polonicam complectentes, ſub numero CCCXCV, b, repoſitis: p. 322 ſq. reperies.

CXXVIII.

✠ STANISLAVS alter SARNICIVS, Eques Roxolanus, Academiam Regiomontanam frequentavit: altus ibi ALBERTI SENIORIS Pruſſiae Ducis, Gentis Polonorum amantiſſimi, liberalitate. Eaque ductus ratione, hic SARNICIVS Evangelicos novos, editis in ſcriptis ſuis, multa humanitate atque caritate eſt proſecutus; quamvis ipſe in religione avita et orthodoxa conſtanter perſeveraverit. Eccleſiaſtico munere nunquam functus eſt. Adultam autem omnem aetatem, colendis agris, curisque aliis oeconomicis exercuit: donec à

Leo-

Leopolienſium' Caſtellano, IOANNE SIENIENIO, graviſſimo ac prudentiſſimo Senatore, in luſtranda ac deſcribenda Roxolania Inferiori, laboris huius ſocius aſſumeretur: ab eoque deinde STEPHANO BATHOREO, Polonorum Regi, impenſiùs commendaretur. Cui SARNICII ingenium, moresque ita placuerunt, ut Sua Maieſtas ipſum familiariſſimè complexum, ad ſcribendos annales veteris ac novae Poloniae excitaret. Quos tamen Rex ille optimus maximusque: ante operis publicationem, rebus humanis exemtus: remunerare praemio haud potuit. A SIGISMVNDO III, Rege iuſtiſſimo atque religioſiſſimo, SARNICIVS hicce, Tribunus Kraſnoſtavienſis Diſtrictûs in Palatinatu Roxolaniae creatus fuit. Septembri menſe anni MDXCII adhuc vixit. Tum enim Lipſiae Roxolanorum, paterno ruri, ſenectutem degens, exaravit epiſtolam: qua SIGISMVNDO III Regi, collecta à ſe Statuta Regni Poloniae, devovit. ZALVSCIANA in Bibliotheca publica ſuperſunt huiusce SARNICII monumenta illa:

1.) STANISLAI SARNICII EQVITIS ROXOLANI ORATIO, PRO LEGE ELECTIONIS, AD MAIESTATEM REGIAM, AMPLISSIMVM SENATVM, ET ORDINES REGNI. Cui addita eſt in fine, Ratio creandi Romani Pontificis: Delibe-

ratioque de bello Turcico. *CRACOVIÆ*, TYPIS MATHIÆ VIRZBIETÆ, MDLXXV. 4.

II.) DESCRIPTIO VETERIS ET NOVÆ POLONIÆ, CVM DIVISIONE EIVSDEM VETERI ET NOVA. Adiecta eſt vera et exquiſita Ruſſiae Inferioris Deſcriptio, iuxtà reviſionem Commiſſariorum Regiorum: et Livoniae, iuxtà Hodoeporicon Exercitus Polonici redeuntis ex Moſchovia; praemiſſa IOANNIS SIENIENII Caſtellani Leopolienſis Epiſtola, ad STEPHANVM BATHOREVM Regem Poloniarum Inclytiſſimum, Varſaviae data primo Kalendas Martii MDLXXXV.

AVCTOR AD LECTOREM:

Lechia quidnam ſit modo, quaeve potentia ſceptri,
Lit. Liv. Rus. et Prus. littora quaeve tenet:
Scribunt iam multi, quò mente revolvere poſſis,
At modo quo cernas dat tibi SARNICIVS.

CRACOVIÆ, ſine typographi nota, MDLXXXV. Folii magnitudine.

Deſcriptio haec ſubiuncta eſt IOANNIS DLVGOSSI HISTORIÆ POLONICÆ, in Vrbe Lipſia editae, Tomo II, p. 1873—1944. Inſertaque LAVRENTII MIZLERI DE KOLOF, HISTORIARVM POLONIÆ SCRIPTORVM COLLECTIONIS MAGNÆ Tomo I, p. 232—282.

III.) ANNALIVM POLONICORVM, QVI IN LVCEM PROPEDIEM EDENTVR, BREVISSIMA SYNOPSIS. Habes hic anteriorem partem Chronicorum hactenus omiſſam, neglectam, ac propemodum ſepultam ab aliis auctoribus: quae incipit ab illa

illa fatali diviſione Gentium, ab ASARMOTH conditore Sarmaticorum Populorum: et continuatur usque ad LECHVM ipſum: ordine per ſeries temporum currendo. Et tandem à LECHO, ad noſtra tempora, quid in noſtris terris actum ſit, fideliter octo libris exponitur. Caetera, quae in illo Opere continentur, verſa pagina indicabit. AVCTORE STANISLAO SARNICIO NOBILI POLONO. *CRACOVIÆ*, TYPIS MATHIÆ VIRZBIETÆ, ANNO MDLXXXII. 4.

IV.) STANISLAI SARNICII ANNALES, SIVE DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBRI OCTO. Habes hic priorem partem horum Chronicorum hactenus omiſſam, et neglectam ab aliis auctoribus: quae incipit ab ASARMOTH conditore Sarmaticorum Populorum: et continuatur ad LECHVM ipſum: rerum ordine ſecundum temporum ſeriem ſervato. Et tandem à LECHO, ad noſtra tempora, quid in iſtis terris actum ſit, fideliter exponitur. Caetera, quae in hoc Opere continentur, cuiusvis Libri argumentum, eidem praefixum, indicabit. *CRACOVIÆ*, auctoris ſumtibus propriis: ſine typographi mentione: ANNO DOMINI MDLXXXVII. Fol.

Annales illi, IOANNIS DLVGOSSI HISTORIÆ POLONICÆ, Editionis Lipſienſis, Tomo II, p. 827 — 1232 acceſſerunt.

V.) STATVTA Y METRIKA PRZYWILEIOW KORONNYCH: HOC EST: TABVLARIVM STATVTORVM AC PRIVILEGIORVM REGNI POLONIÆ, IDIOMATE PATRIO EXHIBITVM A STANISLAO SARNICIO, NOBILI AC BO-

NO CIVE, KRASNOSTAVIENSIS DISTRICTVS IN PALATINATV RVSSIÆ TRIBVNO. *CRACOVIÆ*, EX OFFICINA LAZARI, ANNO DOMINI MDXCIV. Tomi II, folii magnitudine.

SARNICII HISTORIA RERVM ECCLESIASTICARVM, ZALVSCIO Epiſcopo, Bibliothecae publicae conditori, nullibi eſt viſa. Nec litteratori illi principi TRIVMPHALIA POEMATA obvenerunt, quae SARNICIVS, anni MDLXXXI initio, STEPHANO Regi, victori à Wielcolucenſi expeditione redeunti, obtulit. COMMENTARII MILITARES, quos SARNICIVS conſcripſit: Maieſtati Regiae eodem tempore, à SARNICIO ipſo traditi: à publica autem luce, ab ipſo illo cohibiti fuerunt.

Primus omnium, GASPAR SAWICIVS, Preſbyter Societatis IESV, in ALLOQVIIS OSIECENSIBVS: ſub GASPARIS CICHOCII, Sandomirienſis Canonici atque Parochi, nomine divulgatis: p. 93 ſq. SARNICIOS binos, in unum conflauit. Quem SIMON STAROVOLSCIVS, Canonicus Cracovienſis atque Primicerius Tarnovienſis, ſecutus in ELOGIIS ET VITIS CENTVM ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Editionis Venetae, pag. 113 ſq. SARNICIVM utrumque, ſub una eademque perſona, induxit.

duxit. Cuius auctoritate ANDREAS WENGERSCIVS deceptus, in opere ſuprà adducto, SARNICIVM ſuum, et theologum, et hiſtoricum praedicavit.

Multò accuratius et ſtudioſius, de SARNICIO annalium ſcriptore, commemorarunt IOANNES GOTTLIEB KRAVSE, in Praefatione, quam IOANNIS DLVGOSSI HISTORIÆ POLONICÆ Tomo II appoſuit p. XXXII — XLV: atque DAVID BRAUN in CATALOGO CRITICO SCRIPTORVM POLONIÆ ET PRVSSIÆ, p. 12 ſq. et p. 40 — 45.

CXXIX.

OTTO SCHENKING, Livo nobiliſſimus, ut Epiſcopus Vendenſis, anno Salutis MDXCIII, SIGISMVNDI III Poloniae Regis, atque Regni Ordinum decreto, primus in Senatu Reipublicae locum, Praeſuli Camenecenſi proximum, accepit. Isque primus Vendenſis Dioeceſeos ſtatum ordinavit. Luculenter id teſtantur opuſcula gemina, rariùs quidem nunc obvia. Unum, cui titulus ille: VISITATIONIS APOSTOLICÆ, SANCTÆ ECCLESIÆ VENDENSIS ET LIVONIÆ, CONSTITVTIONES: editae à Reverendiſſimo Domino IOANNE MARIA BELLETTO

I. V. D. Clerico Vercellen. Protonotario Apoſtolico, nec non eiusdem Eccleſiae Apoſtolico * Viſitatore: et impreſſae juſſu Illuſtriſſimi et Reverendiſſimi in CHRISTO Patris et Domini, D. OTTONIS SCHENKING, Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopi Vendenſis, Livoniaeque, ſupradictam Apoſtolicam Viſitationem promoventis. *VILNÆ*, APVD IOANNEM KARCANVM. MDCXI. forma 4. Alterum, cum hac inſcriptione: SYNODVS DIOECESANA VENDENSIS ET LIVONIÆ. Celebrata Rigae per Illuſtriſſimum et Reverendiſſimum in CHRISTO Patrem et Dominum, D. OTTONEM SCHENKING, Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopum Vendenſem Livoniaeque, et abſoluta die IV Martii, anno Milleſimo ſexcenteſimo undecimo. Adſtante Reverendiſſimo Domino IOANNE MARIA BELLETTO I. V. D. Clerico Vercellen. Protonotario Apoſtolico, nec non eiusdem Eccleſiae Apoſtolico Viſitatore. *VILNÆ*, APVD IOANNEM KARCANVM. eodem anno, parique forma. Extremam aetatem ſuam SCHENKING ille: Epiſcopatu ſuo à Suecis, expugnatoribus Livoniae, exactus: in Polonia traduxit. Synodoque Provinciali: quae Petricoviae, menſe Maio anni MDCXXVIII, Gneſnenſi Archiepiſcopo atque Regni Primate IOANNE WENZYK praeſide, celebrabatur: unà cum reliquis Poloniae Antiſtitibus adfuit. Quando de vita migraverit, cognitum nobis non eſt.

* Precibus SCHENKINGI Episcopi, misso à FRANCISCO SIMONETA, Praesule Fulginatensi atque Apostolico tunc in Polonia cum facultatibus Legati de Latere Nuncio ordinario.

CXXX.

ADAMUS SCHROETERUS, poëta atque philosophus, SIGISMUNDI AUGUSTI Regis temporibus, clarissimus in Polonia exstitit. Nissa, urbs Silesiae, Vratislaviensis Pontificis sede percelebris, patria ipsius * fuit.

* Hoc IOANNES HENRICUS CUNRADUS, in SILESIA TOGATA, p. 274 sq., nos docuit. HANKIO, Silesiorum litteratissimo, SCHROETERUS ille haud cognitus fuit.

Adolescentiae statim initio, Cracoviam, ad capiendum ingenii cultum, sese contulit. Reliquamque omnem aetatem suam apud Polonos transegit. Nacta enim, inter illos, Musa eius est fautores atque adiutores optimos.

A Palatino Siradiensi, ALBERTO LASCIO, heroë forti atque opulento: eodemque et docto et sapienti, inque doctos omnes viros, et studiosos iuvenes, summè officioso atque benigno: usque in delicias amatus est, tectisque ac sedibus suis

receptus. Vixitque fraternè, cum veterrimo eius atque intimo ſcriba, ABRAHAMO BAKSCHAY, ſuavi ac probo homine, ſtudiisque atque doctrinis omnibus erudito ac perpolito.

Magna huic SCHROETERO, cum ANDREA TRICESIO, poëta nobili et illuſtri, conſuetudo atque familiaritas interceſſit. Sunt Scripta SCHROETERI inventu difficillima. Haec quidem in ZALUSCIANO muſeo aſſervantur:

I.) ADAMI SCHROETERI Sileſii, Elegiarum Liber Unus. Item Epigrammatum Liber Unus. Ad Clariſſimum Dominum NICOLAUM HUBNERUM Maecenatem. *Cracoviae*, LAZARUS ANDREÆ excudebat. Omiſſo anni indicio. 4.

II.) De Nuptiis, Invictiſſimi acGlorioſi SIGISMUNDI AUGUSTI, Regis Poloniae &c. et CATHARINÆ, Caeſaris FERDINANDI Filiae, Carmen Elegiacum. Autore ADAMO SCHROETERO Sileſio. Item Elegiae aliquot, ad quosdam Principes, eiusdem Autoris. *Cracoviae*, LAZARUS ANDREÆ excudebat. MDLIII. 4.

III.) De Fluvio *Memela* Lituaniae, qui cura et induſtria Generoſi ac Clariſſimi Viri, Domini NICOLAI TARLO, navibus permeabilis factus eſt, Carmen Elegiacum. Autore ADAMO SCHROETERO Sileſio. *Cracoviae* LAZARUS ANDREÆ excudebet. MDLIII. 4.

Ele-

Elegans hoc carmen, HISTORIARUM POLONIÆ ATQUE LITUANIÆ SCRIPTORUM COLLECTIONIS MAGNÆ Tomo I. p. 767 — 774 inseruit Regius Consiliarius atque Historiographus, LAURENTIUS MIZLERUS DE KOLOF, doctissimus vir, idemque coniunctissimus Polonis atque amicissimus.

IV.) Salinarum Vieliciensium Iucunda ac Vera Descriptio, Carmine Elegiaco. Autore ADAMO SCHROETERO Silesio. *Cracoviae* LAZARUS ANDREÆ excudebat. MDLIII. 4.

V.) Regni Poloniae Salinarum Vieliciensium Descriptio, Carmine Elegiaco. Iam denuo ab ipso Autore, ADAMO SCHROETERO Silesio, Poëta Laureato et Philosopho, revisa et aucta. *Cracoviae.* Ex Officina Typographica MATHIÆ WIRZBIENTÆ. Anno à CHRISTO nato 1564. 4.

Iuxta Editionem illam, poëma praestantissimum, à nostro illo MIZLERO laudatissimo est repetitum, in opere citato, p. 775 — 797. Opusculi huiusce Epitome exstat, in IOANNIS PISTORII, POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS Tomo I. p. 168 sq. Quae ADAMI SCHROETERI SILESII ITER SALINARIUM SARMATICUM inscribitur.

VI.) De Natali IESU CHRISTI Salvatoris Nostri, Carmen Sapphicum. Autore ADAMO SCHROETERO Silesio. Ad Clarissimum Virum, Dominum HIERONYMUM SALIUM, Urbis Schemniciae Ungaricae Virum Consularem. *Cracoviae* LAZARUS ANDREÆ excudebat. MDLV. 4.

VII.) Archidoxae PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI MAGNI, Germani Philoſophi et Medici ſollertiſſimi, ac myſteriorum Naturae Scrutatoris, et Artificis abſolutiſſimi, Libri X. Nunc primùm: Illuſtri ac Magnifico Domino ALBERTO à LASKO, Palatino Siradienſi, duce et auſpice: ſtudio et diligentia ADAMI SCHROETERI, Philoſophi et Poëtae Laureati, è Germanico in Latinum ſermonem translati et editi. Marginalibus annotationibus, et indice copioſiſſimo, per IOANNEM GREGORIUM MACRUM, Philoſophum et Medicum, adiectis. Cum Gratia et Privilegio Imperiali ad Septennium. *Cracoviae.* Ex Officina Typographica MATHIÆ WIRZBIENTÆ, Typographi Regii. 1569. 4.

VIII.) De Praeparationibus P. THEOPHRASTI PARACELSI ab Hohenhaim Germani, Philoſophi ac Medici, omnium iudicio abſolutiſſimi, Libri II. Cura et induſtria, ſummaque fide et integritate, qua fieri potuit, ab ADAMO SCHROETERO Sileſio, Philoſopho et Poëta Laureato, in lucem editi. Cum Privilegio Caeſareo ad Septennium. *Cracoviae.* Ex Officina Typographica MATHIÆ WIRZBIENTÆ. Anno Domini 1569. 4.

CXXXI.

ALEXANDER SCVLTETVS Prutenus, Canonicus Varmienſis, SIGISMVNDI PRIMI aetate extrema, in Romana Vrbe commorabatur. Confecta ibi ab

ab ipſo eſt: Chronographia, ſive Annales omnium ferè Regum, Principum, ac Potentatuum, ab Orbe condito, usque ad Annum Domini M. D. XLV. Cum aliquali ratione temporum, ac indice duplici, in communem Studioſorum omnium utilitatem, eodem adhuc anno evulgata. *Romae* in Platea Parionis D. *Hieronymus* de *Cartulariis* excudebat. Menſe Octobri. Folio.

CXXXII.

✠ PAVLVS SCZERBICZ Cracovienſis, pari probitatis atque eruditionis laude conſpicuus: patriarum legum ac conſuetudinum ſcientia, exercitationeque longa atque varia: aevo ſuo omnes ſuperavit. Adoleſcens admodum in Vrbe Leopolienſi: doctrinarum virtutumque ſede ſanctiſſima: grave Syndici munus cum dignitate ſumma ſuſtinuit. Eiusque, in aſſerendis Vrbis illius iuribus, diligentia prudentiaque, à viro in Republica principe, IOANNE ZAMOSCIO: Cancellario ſimul bellique Duce, Gentium omnium cultiſſimarum litteris atque linguis celebrato: magni coepit aeſtimari. Quo deinceps fautore et auctore, evocatus in Curiam Regiam: inque numerum Secretariorum Regiorum receptus: cognoſcendis cauſis illis, in quibus provocatio

tio ad Regem datur, ordine tertius aſſedit. Concitatamque expectationem ſui tam egregiè eſt tuitus, ut à STEPHANO BATHOREO atque SIGISMVNDO III: utroque Regum optimo, iuſtitiaeque tenaciſſimo: ſcribendorum Regiae Maieſtatis nomine Decretorum provincia, ipſi committeretur. Cui, quinque et viginti annorum ſpatio, proborum omnium aſſenſione ſingulari praefuit. Patet è monumento: quo Cracoviae, in Æde SS. TRINITATIS, cineres SCZERBICII teguntur: Lituanicarum legum correctionem atque emendationem, eidem SCZERBICIO, à SIGISMVNDO III Rege ipſo, atque à Regni Ordinibus omnibus, fuiſſe mandatam. Provecta iam aetate: venerabili initiatus ſacerdotio: nobilem ac lautam Sandomirienſem Praepoſituram, Varſavienſemque Canonicatum obtinuit. Praeter ZAMOSCIVM Magnum: à quo immortalia in ipſum profecta ſunt beneficia: IOANNEM DEMETRIVM quoque SOLIKOVIVM, Leopolienſium Archipraeſulem, ingenii facinoribus maximè illuſtrem: NICOLAVMque FIRLEIVM, Bienſem eo tempore Caſtellanum atque Regni Polonici Referendarium: fratremque ipſius germanum, IOANNEM nomine, Poloniae tunc Theſaurarium ſupremum: utrum-

utrumque bonarum litterarum ſtudiis, ac doctis viris, mirificè deditum: inter Maecenates principes coluit. Familiariſſimè autem amavit DAVIDEM HILCHENIVM: Secretarium Regium, Terraeque Vendenſis in Livonia Notarium: evulgatis ſcriptis ſuis, litterariisque commerciis, quae ipſi cum externis viris eruditiſſimis fuerunt, longè clariſſimum. Obiit SCZERBICIVS Martio menſe exeunte, anno poſt CHRISTVM natum MDCIX: cum, ſupra aetatis ſuae annum LVI, menſes ſex impleviſſet. Exſtant, in publica ZALVSCIORVM Bibliotheca, opera ſequentia, alibi minùs obvia:

1.) SPECVLVM SAXONVM: HOC EST: IVS PROVINCIALE SAXONIÆ. Ex optimis Exemplaribus Latinis Teutonicisque: cum induſtria et fide maxima, in linguam Polonicam tranſlatum: per PAVLVM SCERBICZ, eo tempore Leopolienſis Civitatis Syndicum. Propriaque eius impenſa excuſum. *LEOPOLI*, ANNO SALVTIS MDLXXXI. Fol.

— IVS MVNICIPALE MAGDEBVRGENSE. Ex optimis itidem Exemplaribus Latinis ac Teutonicis: pari ſtudio ac fide Polonicè redditum: per eundem PAVLVM SCZERBICZ, Leopolienſem tunc Syndicum. Ipſiusque cura et ſumtu: eadem in Vrbe: eodemque tempore: forma ſimili promulgatum.

— OPVS

— OPVS VTRVMQVE. Recusum *BOSNANIÆ*, in Typographeo IOANNIS WOLRAB 1610: iterùmque editum *VARSAVIÆ*, in Officina PETRI ELERT, S. R. M. Typographi, 1646. Folii magnitudine.

II.) IVSTI LIPSII POLITICORVM: SIVE CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SEX. QVI AD PRINCIPATVM MAXIME SPECTANT. E Latino sermone in Polonicum convertit PAVLVS SCZERBICZ S. R. M. Secretarius. *CRACOVIÆ*, EX OFFICINA LAZARI. ANNO DOMINI MDXCV. 4.

Vincit haec editio: characterum admirabili venustate: opera omnia, quaecunque in Polonia ipsa vernaculo sermone sunt edita.

— OPVS IDEM. *CRACOVIÆ*, EX TYPOGRAPHIA ANDREÆ PETRICOVII. ANNO DOMINI MDCVIII. Eadem forma.

Editioni huic accessit: IVSTI LIPSII ORATIO IN CALVMNIAM. INTERPRETE PAVLO SCZERBICZ, Sandomiriensi iam Praeposito.

III.) PROMPTVARIVM STATVTORVM OMNIVM ET CONSTITVTIONVM REGNI POLONIÆ: PER PAVLVM SCZERBIC SECRETARIVM S. R. M. CONSCRIPTVM. Cum Indice Rerum et Verborum copiosissimo: singulari eiusdem PAVLI SCZERBIC studio et diligentia confecto. *BRVNSBERGÆ*, TYPIS GEORGII SCHOENFELS. ANNO DOMINI MDCIV. Fol.

Est inter ZALVSCIANOS Codices manu exaratos, SCZERBICIANI PROMTVARII *Autographum*

phum diligentiſſimè et pulcherrimè contextum. Cui perelegans Epiſtola, ad SIGISMVNDVM III, Polonorum atque Suecorum Regem, ab auctore ipſo eſt praemiſſa. In qua SCZERBICIVS praeclariſſimos eos viros eruditè et concinnè recenſuit: qui temporibus ſuperioribus, colligendis et publicandis legibus patriis, operam utilem dederunt. Epiſtola illa in edito exemplari nullo invenitur.

CXXXIII.

✝ SIMON SIMONIDES * Leopolienſis, ZAMOSCII Maximi, Regni Poloniae Cancellarii atque exercituum Imperatoris, familiariſſimus.

* Legas Ianocii, de SIMONE SIMONIDE, poëtarum Polonorum principe, brevem ſed accuratam narrationem, SIMONIDÆ ipſius Operibus omnibus: Varſaviae, ab Eminentiſſimo ANGELO MARIA DURINO, è publico ZALUSCIORUM muſeo editis: p. 327 — 332, inſertam. Multò copioſiorem Ianocius, hoc in Volumine, dare conſtituerat. Sed, per infirmitatem, nondum potuit.

CXXXIV.

✝ MICHAEL ALOYSIUS SINAPIUS, Nobilis Hungarus: DOMINICI Principis RADIVILII, Magni Lituaniae Ducatus Cancellarii ſupremi, Medicus: Hungarorum Litteratori clariſſimo, ALEXIO HORA'NYIO, haud notus fuit. Utrum STEPHANUS WESPREMI, Medicus Polyhiſtor,

histor, eius meminerit, adhuc me latet: siquidem, ad nos, ipsius BIOGRAPHIA MEDICORUM HUNGARIÆ ET TRANSYLVANIÆ nondum pervenit. Varsaviae in ZALUSCIANA Bibliotheca publica reperiuntur:

I.) ABSURDA VERA, occasione potissimarum quarundam Controversiarum: quae Neotericis, cum Galenicis intercedunt: Orbi curioso Medicorum, in compendio denuò exhibita. Auctore MICHAELE ALOYSIO SINAPIO V. SENFFT, Nob. Hungar. Phil. et Medic. D. Celsissimi Principis RADZIVILII, M. D. Lituaniae Archi-Cancellarii, Personae et Aulae Medico. *VARSAVIÆ*, A. D. 1693. 8.

II.) MICHAELIS ALOYSII SINAPII, Phil. et Med. Doct. Nob. Hung. ABSURDA VERA, sive PARADOXA MEDICA. Quorum Pars I, theoremata, et quaestiones controversas varias, quae hodie Neotericis, cum Galenicis intercedunt, proponit; cum Dissertatione nova, Cap. V. de Spirituum effluviis, et Animae communis transmigratione, iuxta Modernos Pythagoricos. Pars II, occasione morborum certorum Septentrionalium, easdem quaestiones controversas continuat; cum Dissertatione, de falso titulo, sive falsa existentia morbi Gallici. Pars III, continet Tractatum, de vanitate, falsitate, et incertitudine Aphorismorum HIPPOCRATIS. Opus Philiatris omnibus, tàm incipientibus, quàm adultis, lectu iucundum, utile, et necessarium. *GENEVÆ*, sumtibus CRAMER et PERACHON. MDCXCVII. 8.

III.) M.

III.) M. A. SINAPII, Phil. et Med. D. Nob. Hungar. TRACTATUS DE REMEDIO DOLORIS, ſive MATERIA ANODYNORUM, nec non OPII: cauſa criminali, in foro Medico. Acceſſit VISIO ALETHOPHILI ADVOCATI, DE SECTA ET RELIGIONE EMPYRICORUM PANACÆISTARUM. *AMSTELÆDAMI*, apud JANSSONIO-WAESBERGIOS. 1699. 8.

CXXXV.

✝ SIMON SIRENIUS Polonus, Medicinae Doctor, publicusque in Academia Cracovienſi Profeſſor, opus grande: DE NATURA ET USU HERBARUM: vernaculo ſermone confecit. Quod, auctore iam demortuo: impenſa ANNÆ * Infantis Sueciae, SIGISMUNDI III, Regis Suecorum atque Polonorum, ſororis: curaque GABRIELIS IOANNICII **, Cracovienſis Medici et Profeſſoris haud incelebris: unà cum herbarum formis accuratè et eleganter expreſſis: Cracoviae, è Typographeo BASILII SKALSKI, anno MDCXIII, folii magnitudine prodiit ***.

* Quae linguam Polonicam, ab ipſa Matre ſua, CATHARINA JAGELLONIA, SIGISMUNDI Primi Poloniae Regis filia, didicit: rerumque omnium optimarum atque utiliſſimarum perſtudioſa, cognoſcendis herbis operam ſingularem navavit. HERBARII VIVI, ANNÆ illius Principis manu propria concinnati, fragmentum

tum pulcherrimum Nefvifii in Bibliotheca RADIVILIANA fervabatur.

** Qui prooemium elaboratiffimum, ad ANNAM Infantem Sueciae, praemifit.

*** Operis huius, longè rariffimi et pretiofiffimi, exemplaria bina Varfaviae in ZALUSCIANA Bibliotheca publica adhuc affervantur.

CXXXVI.

† ERASMUS SIXTUS, patriae fuae, Urbis Leopolienfis, Conful atque Medicus primarius: SIMONISque SIMONIDÆ Leopolienfis, PINDARI Sarmatici, amiciffimus fuit. ZALUSCIANA in Bibliotheca publica exftat liber eruditiffimè fcriptus, nec facilè in Polonia ipfa obvius, cuius titulus: COMMENTARIUS MEDICUS IN L. ANNÆI SENECÆ OPERA. Per D. ERASMUM SIXTUM, Phyficum Medicum Leopolienfem, confcriptus. *LEOPOLI*, in Officina IOANNIS SZELIGÆ, Archiepifcopalis Typographi. Anno Domini 1627. 4. Eftque, eadem in Bibliotheca, opus aliud, magni à Noftratibus exiftimatum, inventuque admodùm rarum: DE THERMIS SKLANIS * PROPE LEOPOLIM. Per SIXTUM eundem idiomate Polonico compofitum. ZAMOSCI, in Typographeo Academico, per CHRISTOPHORUM WOLBRAMCZYK excufum. Anno Domini

mini 1617. 4. Hicce SIXTUS, homo doctiſſimus, circa annum MDCXXXV obiiſſe, traditur à BARTHOLOMÆO ZIMOROWICIO, Conſule Leopolienſi, eo in opuſculo: quo VIROS ILLUSTRES CIVITATIS LEOPOLIENSIS, METROPOLIS RUSSIÆ, breviter recenſuit: p. 16.

* Hendecaſyllabos, quibus SIMON SIMONIDES Leopolienſis, THERMAS SKLANAS ERASMI SIXTI Leopolienſis, Medici Excellentiſſimi, eſt comitatus: in Vatis illius operibus, Varſaviae, è ZALUSCIANA Bibliotheca publica, ab Eminentiſſimo ANGELO MARIA DURINO, Apoſtolico olim apud Regem atque Rempublicam Polonorum Nuncio Ordinario, anno MDCCLXXII, forma 4 maiori, in medium prolatis, p. 144, reperies.

CXXXVII.

✠ SEBASTIANUS SLESZKOWSKI Vielunenſis, è Siradiae Satrapia: Medicinae atque Philoſophiae Doctor in Academia Cracovienſi renunciatus: annis adhuc virentibus, apud doctiſſimum Varmiae Pontificem et Principem, SIMONEM RUDNICIUM, Medici familiarisque locum tenuit. Quo morte exſtincto: in SIGISMUNDI III, Regis Sueciae et Poloniae Aula, Medici atque Secretarii intimi honorem eſt conſecutus. SLESZKOWSKI ipſe Nonis Maii, MDCXLVIII, ſeptuagenario maior vitam finivit: perhibente SIMONE STA-

ROVOLSCIO, in MONUMENTIS SARMATARUM, p. 551. Sunt penes nos,

Latino ſermone:

I.) SEBASTIANI SLESZKOWSKI, Philoſophiae et Medicinae Doctoris, OPERA MEDICA DUO. Unum, PRAXIS PHLEBOTOMIÆ: quâ aditus facillimè aperitur ad omnes morbos, qui à ſanguine, ortus ſui primordia ducunt, curandos. Alterum, DE FEBRIBUS LIBER: non ſolùm Medicis ad curandum, verùm etiam reliquo omni hominum generi, ad praecavendum apprimè utilis, ac neceſſarius. *CRACOVIÆ*, Typographo STANISLAO GERMANSKI, anno 1616. 8.

II.) TETRAS OPERUM MEDICORUM. De natura Venenorum: de praeſeruatione à Venenis, per victus rationem: de praeſeruatione à Venenis, per medicamenta: et de praeſeruatione univerſali à Venenis, quae extrinſecùs ab Animalibus inferuntur. Ex doctiſſimorum Medicorum aſſiduis vigiliis, et accurata Theoriae et Praxis obſeruatione, elucubrata; non ſolùm Medicis et Philoſophis, verùm etiam omni hominum generi, maximè verò Principibus, Magnatibus, Divitibus, et qui inimicos habent, ad praecavendum utilis, ac ſummopere neceſſaria. Auctore SEBASTIANO SLESCOVIO, M. et Philoſ. Doctore. *CRACOVIÆ*, in Chalcographia MATTH. ANDREOVIEN. MDCXVIII. 8.

— Operum eorundem Editio altera, cum hac inſcriptione: INCOMPARABILIS THESAURUS ALEXITERICUS. In quo ſcilicet remedia ſelecta, diu et multùm

tùm

tùm probata, necnon facilè cuivis parabilia, contra omnis generis Venena mortifera, tàm intùs ſumta, quàm extrinſecus illata, proponuntur. Non ſolum Medicis et Philoſophis, verùm etiam omni hominum generi, maximè verò Principibus, Magnatibus, Divitibus, et qui inimicos habent, ac denique omnibus aliis, cuiuscunque fortunae, aut conditionis hominibus, caſu aliquo infelici, inſcitiave intoxicatis, ad expugnanda Venena utilis, ſemperque in manibus habendus. Auctore SEBASTIANO SLESCOVIO, Doctore: Illuſtriſſimi Principis, et Reverendiſſimi Domini, D. SIMONIS RUDNICKI, Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopi Varmienſis, Medico Phyſico. *BRUNSBERGÆ*, in Chalcographia GEORGII SCHOENFELS, MDCXXI, 8. Editioni huic, Opera duo acceſſerunt: quintum nempe, de curatione univerſali Venenorum, ore ſumtorum: ſextumque de curatione univerſali Venenatorum ab Animalibus.

III.) Ad Illuſtrem et Magnificum Dominum, D. IOANNEM JASTRZEMBECIUM BARANOWSKI, Palatinum Siradienſem. De fugiendis Medicis atque Chirurgis Judaeis. D. SEBASTIANI SLESZKOWSKI, Medicinae et Philoſophiae Doctoris, Regiique Medici et Secretarii Intimi, EPISTOLARUM PENTAS. *VARSAVIÆ*, typis IOANNIS ROSSOWSKI, anno Domini MDCXXX. 8.

Lingua autem Polonica:

IV.) Gentis Judaeorum ſuperſtitiones, fraudesque, atque artes praviſſimae, ſtudio et opera D. SEBA-

SEBASTIANI SLESZKOWSKI, Medicinae et Philosophiae Doctoris, retectae. *BRUNSBERGÆ*, typis SCHOENFELSIANIS, MDCXXI. 4.

v.) In Gentem Judaicam, invectivum Scriptum alterum, cui titulus: Genealogia Judaeorum &c. SLESCOVII eiusdem cura et opera. *BRUNSBERGÆ*, typis iisdem, MDCXXII. 4.

vi.) D. SEBASTIANI SLESZKOWSKI, Medicinae et Philosophiae Doctoris, Sacraeque Regiae Maiestatis Medici et Secretarii Intimi: TRACTATIO * METODICA, DE COGNOSCENDA, CURANDAQUE LUE PESTIFERA. Accessit auctoris eiusdem, de Medicis atque Chirurgis, sive Judaeis, sive Tartaris, neutiquam admittendis Consilium **, praecipuarum Regni Poloniae Civitatum Magistratibus propositum. Sine loci atque Typographi significatione. MDCXXXV, et MDCXXXVIII. 8.

* TRACTATIONIS huius Editio prima: CALISSII, typis STANISLAI GEDELII, MDCXXIII, 4, adornata: à Praesule Kioviensi, Comite ZALUSCIO, in BIBLIOTHECÆ POLONÆ suae MStae p. 1150. indicatur.

** Consilium illud: sine loci ac Typographi indicio MDCXXIII et MDCXLIX, forma 4, seorsim publicatum: à Praesule eodem l. c. commemoratur. A quo cuncta SLESCOVII Scripta, corvis albis rariora, existimantur.

vii.) ALEXII PEDEMONTANI, DE SECRETIS LIBRI VII: è IOANNIS IACOBI WECKERI interpretatione Latina, per SEBASTIANUM SLESZKOWSKI Polonicè facti: perque eundem, Supplementis propriis suis, insigniter

gniter adaucti. *CRACOVIÆ*, in Officina MATTHIÆ ANDREOVIENSIS, per FRANCISCUM CÆSARIUM excuſi, MDCXX. 4. SUPRASLII autem, typis inclyti Coenobii Baſiliani, denuò exſcripti, MDCCXXXVII, forma eadem.

Ex his facilè ea corriges, quae Princeps IABLONOVIUS, Palatinus Novogrodenſis, in MUSEO POLONO p. 231 ſq. vitioſè et confuſè de SLESCOVIO narravit.

CXXXVIII.

+ HIERONYMUS SPICZINSKI, Conſul Cracovienſis idemque SIGISMUNDI AUGUSTI Regis Poloniae Medicus: DE PLANTIS, ET DE ANIMALIBUS, DEQUE GENERATIONE HOMINIS: volumen haud modicum lingua Polonica conſcripſit. Idque Cracoviae, in typographeo LAZARINO, anno MDLIV, foliis integris excudendum * curavit.

* Quod Varſaviae, in Magni Lituaniae Notarii, IGNATII POTOCII MUSAGETÆ Bibliotheca, oſtenditur.

CXXXIX.

STANISLAVS POLONVS Typographus, ſaeculi decimi quinti exitu, artem ſuam in Hiſpania exercuit. Exſtare ÆGIDII ROMANI opus DE REGIMINE PRINCIPUM: à BERNARDO Oxmenſi Epiſcopo, è lingua Latina, in Hiſpanicam tranſlatum: HISPALIque MEYNARDI UNGUT * Alemani et STANISLAI POLONI Sociorum typis, foliis integris, exſcriptum: auctor eſt MICHAEL MAITTAIRE, in ANNALIVM TYPOGRAPHICORVM, Tomi I Parte II. p. 573.

* Qui priùs LADISLAO POLONO, eadem in Vrbe, ſocietate junctus fuit.

CXL.

IOANNES STAPHYLEVS Dalmata, Auditor Rotae et Nuncius Apoſtolicus, Cracoviam die IV menſis Ianuarii, anno à CHRISTO nato MDXII, pervenit. Admiſſus ad SIGISMVNDVM I, Polonorum Regem: Maieſtatem Suam oratione prolixa, blandaque obſecravit, et obteſtatus eſt, ut Pontifici Maximo, IVLIO II, ab Eccleſiae adverſariis acerrimis undique oppugnato, velit ſuccurrere: et Concilio Oecumeni-

menico Romae ab ipſo ad Lateranum indicto, in quo, de communi contra Turcas expeditione, à Principibus ipſis Chriſtianis inprimis ſit conſulendum, cum Regni ſui Proceribus adeſſe. Menſis ſubſequentis exordio, Sponſa SIGISMVNDI Regis, BARBARA, Scepuſienſis Comitis STEPHANI filia, pompa Regia Cracoviam eſt pervecta. Cui STAPHYLEVS, cum Rege, extra Vrbem, per aliquot millia paſſuum, obviam proceſſit.

Regiis deinde Nuptiis, STAPHYLEVS cum viris aliis illuſtribus, purpuratisque, multum decoris atque ornamenti addidit. Ipſeque STAPHYLEVS: dum Reginae, octava die Februarii, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi et Regni Poloniae Primate, IOANNE LASCIO, diadema regium imponeretur: inter inaugurationis ſollemnia, ad Regem atque Reginam, DE NOBILITATE ET PRÆSTANTIA MATRIMONII, orationem compoſitiſſimam habuit. Quae Maieſtatibus Suis Regiis, Primoribusque Regni, et univerſae Nobilitati Polonae, mirum in modum, placuit.

Rex poſtea: legatione Apoſtolica, cum Senatoribus, qui Nuptiis Regiis, comitiisque Regni generalibus celebrandis aderant, commu-

communicata: STAPHYLEO, in hanc ferè ſententiam, reſponderi iuſſit. Maieſtatem Suam Regiam, Sanctae Sedis Apoſtolicae ſemper fuiſſe, et eſſe perpetuò obſervantiſſimam. Nihilque unquam praetermittere velle, quod ex re illius fuerit. Societatem quoque belli, contra communem hoſtem, cum caeteris Principibus Chriſtianis optare. Velleque Maieſtatem Suam, Concilio, ad quod à Sanctiſſimo Domino vocetur, libenter Ipſammet intereſſe. Cum autem id, per hoſtes peculiares et continuos, nequaquam Sibi liceat: Se, nomine ſuo, Legatos ad univerſalem illam Synodum eſſe miſſuram.

STAPHYLEI legatio: et utraque eius oratio: reſponſumque SIGISMVNDI Regis: inſerta à STANISLAO GORSCIO ſunt Volumini illi, quod IOANNIS ALBERTI, ALEXANDRI quoque, atque SIGISMVNDI PRIMI, Regum Poloniae, Epiſtolas Selectiores, Legationesque Memorabiliores complectitur. Inque SIGISMVNDI PRIMI, ACTIONVM REGIARVM Tomum II, illata eſſe: è STANISLAI CARNCOVII COMPENDIO, ſub anno MDXII, intelligo. Orationem priorem IOANNES CHRISTIANVS LÜNIG nactus, editis à ſe ORATIONIBVS PROCE-

RUM

RUM EUROPÆ, Parte II, p. 504 — 510 immiſcuit.

IODOCVS, ſive IVSTVS LVDOVICVS DECIVS, Poloniae Regis SIGISMVNDI I tunc Secretarius, et Familiaris intimus: in luculento ſuo commentario, DE SIGISMVNDI REGIS ILLIVS TEMPORIBVS, ſub anno MDXII, Fol. LXXIX ſq.: IOANNIS STAPHYLEI, Auditoris Rotae et Legati Apoſtolici, honorificam fecit mentionem. Vocavit enim illum, virum excellentis ingenii atque doctrinae: jurisque inſigniter peritum: qui, cum ipſo, familiariter ſaepiùs multa ſit commentatus.

STAPHYLEVS ille ipſe: creatus iam Epiſcopus Sebenicenſis in Dalmatia: Romana in Vrbe, ipſis Idibus Majis anni MDXXVIII, apud Rotae Auditores, orationem DE CAVSIS EXCIDII VRBIS ROMÆ dixit. Quae, in SIMONIS SCHARDII, SCRIPTORVM RERVM GERMANICARVM, Tomo II, p. 613 ſq. eſt collocata. Edita STAPHYLEI Opera Iuridica, GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN, in emendata à ſe ipſo, auctaque MARTINI LIPENII BIBLIOTHECA REALI IVRIDICA, p. 60. b. 194. a. 233. a. 345. b. accuratè indicavit.

STA-

STAPHYLEI eiusdem exſtare quaedam Manuſcripta, de bello et pace, ad VLADISLAVM Pannoniae atque Bohemiae Regem, SIGISMVNDI Regis Polonorum fratrem germanum: auctor eſt IOSIAS SIMLERVS, in EPITOME BIBLIOTHECÆ CONRADI GESNERI, p. 110. a.

CXLI.

STATUTA DUCATUS MASOVIĘ, vide PETRUS GORINSKI, et LAURENTIUS PRAZMOWSKI, itemquę STEPHANUS Praepoſitus Varſavienſis.

✠ STATUTA ET CONSUETUDINES REGNI POLONIĘ: Serenissimi SIGISMUNDI Primi Regis Polonię et Magni Ducis Lituanię, universorumque Regni Ordinum decreto publico collecta, et libris quinque distincta: per NICOLAUM THASZYCKI Cracovien. BERNARDUM MACIEIOWSKI Sandomirien. Terrarum Judices: GEORGIUM MYSZKOWSKI de Przecziczow utriusque juris Doctorem, BENEDICTUM IZBIENSKI, Gnesnen. et Cracovien. Ecclesiarum Canonicos: ALBERTUM POLICKI, Terrę Poznanien. Notarium, et NICOLAUM KOCZANOWSKI, Gladiferum Iunivladislavien. ✱ Finita et absoluta Cracovię, die Martis, tertia

tertia mensis Septembris. Anno Domini MDXXXII. Ibidemque excusa per HIERONYMUM VIETOREM: anno eodem, Folii magnitudine. Statutorum Regni collectio illa, ad uſum rectè adminiſtrandae juſtitiae perpetuum, optimè eſt ordinata: omniumque eſt rariſſima **: ipſisque Polonis litteratiſſimis prorſùs ignota. Exemplar illud: quod ZALUSCIANA Bibliotheca publica, inter monumenta domeſticae diſciplinae principalia, aſſervat: ante annos XXVI, ad ALBERTUM Comitem de Brzezie LANCKORONSKI, Goſtinenſem Caſtellanum pertinuit. Qui illuſtri Affini ſuo, JOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALUSCIO, Regni tunc Poloniae Referendario Supremo, poſtea verò Epiſcopo Kiovienſi atque Czerniechovienſi, donavit. ZALUSCIO Antiſtiti aliud nusquam obvenit: licet ipſe opus tàm eximium, tàmque neceſſarium, in Bibliothecis Polonicis ac Lituanicis, Pruſſicis quoque, atque Sileſiacis omnibus, cum aviditate ſumma quaeſiverit.

* Qui in labore hoc arduò decennium integrum inſumſerunt.

** Cuius opera et arte, haec collectio, cum totius Gentis Polonicae damno maximo, fuerit ſuppreſſa: è ſcriptoris anonymi VITA PERI KMITHÆ, Editionis Dobromilen. p. 278 — 281, Gedanen. p. 223 — 225, Lipſien. p. 1614 — 1616, facilè conjicies.

CXLII.

CXLII.

+STEPHANUS *, Praepositus Ecclesiae Collegiatae Varsaviensis, Canonicusque Cathedralis Plocensis: BOLESLAI IUNIORIS, Masoviae et Russiae Ducis, Cancellarius fuit. ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, sub numero MDCCCCXCV, forma 4: STATUTA DUCUM MAZOUIE, à STEPHANO illo Cancellario Varsaviae anno MCCCCLXXIII collecta: asservantur.

* Gentilitium eius nomen exploratum non habemus.

CXLIII.

IOANNES STREIFROCK Lipsiae obscurissimis natus initiis: ingenii vero, et doctrinae, et virtutis nomine, inter Canonicos Varmienses cooptatus: perspectaque eius in rebus gerendis prudentia, Praesul ab iis electus est. A CAROLO IV Caesare, Sacri Romani Imperii Principis honorem, iunctaque ei iura, sibi et successoribus suis impetravit. Cum VINRICO, magno ordinis Teutonici Magistro, de bonis, quae ad Episcopatum pertinebant, controversiam habuit gravissimam. Huius componendae gratia, ad URBANUM V

Ponti-

Pontificem Maximum Avenionem ſe contulit. Ubi, variis animi moleſtiis curisque feſſus, diem obiit ſupremum, Kalendis Septembribus anni poſt C. N. MCCCLXXII. Corpus eius ibidem, in Coenobio Dominicano, publica ſepultura honoratum eſt. Praefuit Eccleſiae Varmienſi annis decem et ſeptem. Primus omnium Hiſtoriam Epiſcopatus Varmienſis ſcripſit. Quam HENRICUS SORENBAUM, Varmienſis item Antiſtes, continuavit. Neutrum opus ad nos pervenit. Res utrorumque * Praeſulum geſtas ſtylo uberi perſecuti ſunt, IOANNES PLASTWIG, in Chronico de Vitis Epiſcoporum Varmienſium, p. 7 — 15, et THOMAS TRETERUS, in Opere Poſthumo, De Epiſcopatu et Epiſcopis Eccleſiae Varmienſis, p. 15 — 31, IOANNESque LEO, in Hiſtoria Pruſſiae, p. 156 — 166, et p. 182, ſq.

* IOANNEM STREIFROCK, atque HENRICUM SORENBAUM Patricium Elbingenſem, utros Varmiae Epiſcopos, Annalium Varmienſium Auctores, GEORGIUS DANIEL SEYLER, Elbingenſis Gymnaſii Praefectus ac Bibliothecarius, in Elbinga Litterata, p. 5 — 7, Pruſſorum memoriae probè commendavit. Iniurius tamen IOANNI, aſſerere auſus eſt: Varmienſis Infulae dignitati, HENRICI ſtudio, S. R. Imperii Principis titulum acceſſiſſe. Quem à IOANNE STREIFROCK iam acquiſitum, GOTEFRIDUS LENGNICH, Urbis Gedanenſis Syndicus, in Iuris Publici Regni Poloni Tomo II, p. m. 108, accuratius commemoravit.

CXLIV.

CXLIV.

✝ ADAMUS SWINKA, Cracovienſis Canonicus Cathedralis, Regisque Poloniae et ſupremi Ducis Lituaniae VLADISLAI IAGELLONIS Scriba praecipuus: Poëtarum Polonorum, qui poëticam Latina lingua coluerunt, omnium veterrimus: longum carmen heroicum De rebus geſtis ac dictis memorabilibus Kazimiri ſecundi Polonie Regis inclitissimi propria manu ſua exaratum reliquit, Cracovienſi in Bibliotheca Academica reconditum: annotante Epiſcopo Kiovienſi, IOSEPHO ANDREA Comite ZALUSCIO, in CODICUM MSStorum, quos in alienis Bibliothecis reperit ac perlegit, INDICE ALTERO, p. 39. b.

CXLV.

✝ IACOBUS SWINKA, Gneſnenſis Provinciae Metropolitanae Archiepiſcopus: Caliſſii, XII Kalendas Ianuarii, MCCLXXXIII, more ſollemni inauguratus: Lanciciae, in Epiphania Domini MCCLXXXV, Provincialem Synodum coegit. In qua: conſentientibus PAULO PRZEMANKOVIO Cracovienſi, VISLAO ZABAVIO Vladiſlavienſi, IOANNE VISCOVICIO Poſnanienſi, et

VOL-

VOLMIRO Lubuſſenſi, Provinciae eius Epiſcopis, compluribusque ordinis inferioris Praelatis atque Abbatibus: ſeverè ſtatuit, ne Beneficia Eccleſiaſtica conferantur alienigenis, et Magiſtri Scholarum non aſſumantur ad regimen, niſi linguam Polonicam calleant.

Legem illam IAROSLAUS BOGORIUS, Archipraeſul Gneſnenſis, Caliſſienſi in Synodo Provinciali anni MCCCLVII, innovavit. Qui, IACOBI SWINCÆ, Praedeceſſoris ſui CONSTITUTIONES, proprio ſuo SYNODICO ECCLESIARUM POLONIÆ MS., p. 23—28 integras inſeruit.

IACOBUS ipſe SWINKA Archiepiſcopus, primus omnium in Curia Romana, à MARTINO II, dicto IV *, Pontifice Maximo, novos Epiſcopos Provinciae ſuae confirmandi poteſtatem accepit. Eamque, in confirmatione VISLAI SABAVII et GERARDI ACERVINI Vladiſlavienſium Praeſulum, IOANNISque GERBISCH NALENCII atque ANDREÆ ZAREMBÆ Poſnanienſium Antiſtitum, IOANNIS quoque ALTI PRAWDZICII Epiſcopi Plocenſis, exercuit.

* Qui adhuc Cardinalis, IACOBUM illum SWINCAM Romae tunc degentem familiariſſimè dilexerat: creatusque Summus Pontifex, ſpreto VLOSTIBORIO, Decano Gneſnenſi, Archiepiſcopo à Praelatis atque Canonicis reliquis legitime electo, SWINCAM ſuum Archipraeſulem renunciaverat.

 Gneſnae,

Gnesnae, VI Kalendas Iulii MCCXCV, PREMISLAO SECUNDO Duci Posnaniensi atque Calissiensi, Regi à Poloniae atque Pomeraniae Primoribus consalutato: ipsiusque uxori, cui RICHENZÆ nomen erat: Regium diadema ritè imposuit. Ibidemque, MCCC, VENCESLAUM Regem Bohemiae atque Poloniae, eodem insigni ornavit. Unioviae denique, IV Nonas Martii MCCCXIV, fato defunctus est.

Eius acta, IOANNES Gnesnensis Archidiaconus, in CHRONICO POLONIÆ, per FRIDERICUM WILHELMUM DE SOMMERSBERG foràs dato, p. 90, et 93: IOANNES DLUGOSSUS, Canonicus Gnesnensis, atque Cracoviensis, in editis ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, sub annis: MCCLXXXIII, p. 832: MCCLXXXIV, p. 835, sq.: MCCLXXXV, p. 836 sq.: MCCXCV, p. 877: MCCXCVI, p. 885: MCCC, p. 895: inque VITIS ARCHIEPISCOPORUM ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS nondum evulgatis, p. 78—81: STEPHANUS DAMALEVICIVS, Canonicorum Regularium Calissii Praepositus, Gnesnensisque Archiepiscopi et Regni Primatis, MATHIÆ LUBIENSCII Theologus, in SERIE ARCHIEPISCOPORUM GNESNENSIUM, p. 164—174:

174: STANISLAUS BUZENSCIUS, Varmienſis Decanus, idemque Gneſnenſis atque Cracovienſis Canonicus, in VITIS ARCHIEPISCOPORUM GNESNENSIUM ET REGNI POLONIÆ PRIMATUM MSStis, p. 241—271, expoſuerunt.

CXLVI.

SYNODICON ECCLESIARUM POLONIÆ, anno MCCCLVII, IAROSLAI BOGORII, Archiepiſcopi Gneſnenſis, cura adornatum: vide BOGORIUS.

✝SYNODICON ECCLESIARUM POLONIÆ, ſaeculi XV medio, ab Anonymo congeſtum: ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, forma 4, ſub numero MDCCCCXCVI collocatum: Eccleſiarum Polonicarum veteres Synodos, tàm Provinciales, quàm Dioeceſanas, mixtim exhibet.

SIMON SYRENIUS Polonus, Medicus Cracovienſis: vide SIRENIUS.

CXLVII.

✠ ALBERTUS TABOR, Praesul Vilnensis, primus omnium, in Episcopatu illo amplissimo, Ecclesiasticam disciplinam, bonorumque Ecclesiasticorum administrationem benè ordinavit. ALBERTI huiusce Episcopi Oratio, ad ALEXANDRUM Regem Poloniȩ Magnumque Ducem Lituaniȩ, pro Lituanicȩ Gentis juribus ac libertatibus, Radomiȩ MDV in Comitiis generalibus habita, Vilnae in Bibliotheca SAPIEHANA asservatur. Exstabant Varsaviae, in ZALUSCIANA Bibliotheca publica: Constitutiones Ecclesiȩ Vilneñ, per Reuerendissimum Patrem Dominum ALBERTUM Episcopum, et totum Uenerabile capitulum sancitȩ: NICOLAI ZAMBORECZKI Ecclesiȩ Vilneñ pȩnitenciarii manu, anno dñi MDII, mense decembri, forma 8, perscripti. Quas Comes ZALUSCIUS, Regni Poloniae adhuc Referendarius Supremus, Lituano cuidam Antistiti, genere et virtutibus, doctrinisque clarissimo, ad legendum concessit. Quo demortuo, ab homine ignoto raptae fuerunt. TABOR, Episcopus summus, anno CHRISTI MDVII, vita cessit. Lectu sanè digna sunt, quae de eo, MATHIAS de MIECHOVIA, in CHRONICI POLONORUM Libro IV, p. 362, et 364 sq.: STANISLAUS GORSCIUS, in SIGISMUNDI PRIMI, ACTIONUM REGIA-

GIARUM MSS., Tomo I, fol. 17. b. ſq.: MARTINUS CROMERUS, in Operibus Hiſtoricis, locupletiſſimè Coloniae Agrippinae MDLXXXIX editis, p. 449 a et b, 452 b ſq., et 456 b: MATHIAS STRYIKOVIUS, in CHRONICO LITUANICO, Regiomonti Boruſſorum MDLXXXII lingua Polonica publicato, p. 667, 684, 693, 698 et 699, Varſaviae autem MDCCLXVI iterùm promulgato, p. 648 ſq., 664, 674, 679, et 680: ALBERTUS KOIALOVICIUS, in HISTORIÆ LITUANÆ Parte Altera, p. 260, 305 ſq., 311, 316, 317, et 319, idemque in NOMENCLATORE FAMILIARUM LITUANICARUM MS., p. m. ipſiusque frater germanus, PETRUS nomine, in ELOGIIS EPISCOPORUM VILNENSIUM MSStis, p. 19 ſq.: et FRANCISCUS RZEPNICIUS, in VITIS PRÆSULUM REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITUANIÆ, Tomo II, p. 174—177, litteris prodiderunt.

CXLVIII.

✝ IANUSSIUS TARNAVIUS, Nobilis Polonus, isque Gneſnenſis Praepoſitus Metropolitanus, FULCONE Archipraeſule demortuo, à Praelatis et Canonicis reliquis, menſe Maio anni MCCLVIII, Archi-

episcopus est electus: anno autem subsequenti, feria sexta ante Dominica Invocavit, ab ALEXANDRO IV Pontifice Maximo confirmatus: eiusque iussu, ipsa Dominica Invocavit, in Urbe Roma consecratus. Hicce IANUSSIUS, potestate Archiepiscopali usus, Gnesnensis totius Provinciae Synodum, anno MCCLXII, Siradiae habuit. Idem ille, anno MCCLXVIII Vratislaviensi Synodo Provinciali, à GUIDONE S. R. E. Cardinali, Sanctaeque Sedis Apostolicae de latere in Polonia Legato, celebratae interfuit. Mortem obiit, vigesima sexta die mensis Augusti, anni post CHRISTUM natum MCCLXXII. De IANUSSIO illo Archiepiscopo, aetatis eiusdem historicus GODISLAUS BASCO, in CHRONICO POLONIÆ Edit. SOMMERSB. p. 71 sq. ZALUSC. p. 149, sq.: et IOANNES DLUGOSSUS, in editis ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, sub annis, MCCLVIII, p. 753, et MCCLXXII, p. 798: idemque, in VITIS ARCHIEPISCOPORUM ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS MSstis, pag. 76, quaedam tradiderunt.

CONSTITUCIONES DOMINI IANUSSII diuina prouidencia Archiepiscopi quondam Gneznen. ab eo una cum suffraganeis suis, videlicet Cracouien. Lubussen. Cuiauien. Poznanien. et Mazouien. Episcopis,

pis, suisque et aliis Canonicis, in *Siradz* anno domini millesimo CCLXII, die beati Lamperti Episcopi et Martyris, congregatis ordinatas: IAROSLAUS BOGORIUS, Gnesnensis ipse Archiepiscopus, SYNODICO ECCLESIARUM POLONIAE MSto, p. 18 sq. inseruit.

CXLIX.

✝ IOANNES TARNOVIUS, Cracoviensis Castellanus, summusque in Regno Poloniae copiarum Imperator: ingenii atque doctrinae gloria haud minùs, quàm victoriarum fama inclytus *: primus omnium ex ordine profano, Gentis Polonae res, sivè prospera, sivè adversa fortuna gestas, litterarum monumentis consignavit. Confectum ab ipso, idiomate patrio, CHRONICON ** POLONICUM, MATHIAS STRYICOVIUS, Lituanorum historicus, manibus suis versavit: inque conscribendo proprio Chronico suo diligenter adhibuit. Nostra autem aetate, ZALUSCIUS Episcopus Kioviensis, litteraturae patriae instaurator maximus, id TARNOVII opus, in huius Regni Bibliothecis, Tabulariisque nobilissimis et secretissimis, studio multo sed irrito quaesivit.

* Ille ipse, cui PHILIPPUS PADNIEVIUS Pontifex Cracoviensis, in opere MSto DE VIRIS ÆTATIS SUÆ ET GENTIS ILLUSTRIBUS, Cap. X: PAULUSque JOVIUS Episcopus Nucerinus, in editis ELOGIIS VIRORUM BELLICA VIRTUTE ILLUSTRIUM, p. m. 255 sq. locum tribuerunt.

** IANA TARNOWSKIEGO Pana Krakowskiego KRONIKA POLSKA pisana: IOANNIS TARNOVII, Domini hoc est Castellani Cracoviensis, CHRONICON POLONICUM calamo exaratum: memoratur à STRYICOVIO, in praemisso Indice Auctorum Clarissimorum, quibus ipse potissimùm est usus in concinnando CHRONICO LITUANICO.

Exstat in ZALUSCIANO Museo publico, lingua vernacula: IOANNIS TARNOVII, Cracoviensis Castellani, Regnique exercituum Ducis supremi, COMPENDIUM IURIS CIVILIS ET BELLICI ***, ex Statutis atque Constitutionibus Regni collectum. Additus est, DE PRÆFECTIS MILITIÆ POLONICÆ, EORUMQUE OFFICIIS, Liber singularis: eiusdemque auctoris illustris, MODUS DEFENDENDI REGNI POLONICI. *CRACOVIÆ*, ê typographeo LAZARINO, anno Domini 1579, forma 4.

*** Est opus illud supra fidem rarum. Solebatque, à ZALUSCIO Praesule et Polyhistore, librorum Polonicorum Phoenix vocari.

IOANNIS istius Comitis TARNOVII, in Poloniae Regno Strategi Nominatissimi, DE BELLO CUM IURATISSIMIS CHRISTIANÆ FIDEI HOSTIBUS TURCIS GERENDO, Disputatio Sapientissima: cum Praefatione IOANNIS STRASII **** ad CAROLUM V Romanorum Imperatorem: à NICO-

LAO

LAO REUSNERO, in SELECTISSIMARUM ORATIONUM ET CONSULTATIONUM, DE BELLO TURCICO, VARIORUM ET DIVERSORUM AUCTORUM, Voluminis Quarti Partem Alteram, p. 1—18, eſt ***** illata.

**** Patricii Cracovienſis, hominis eruditiſſimi ac politiſſimi, novarum autem magnarumque rerum nimis cupidi. De quo plura dicerem, ſi valerem rectiùs.

***** Cracovienſis Editio, anni MDXLII, forma 4, ZALUSCIO Antiſtiti nunquam fuit viſa.

Eiusdem IOANNIS TARNOVII, exercituum Ducis celebratiſſimi, CONSILIUM RATIONIS BELLICÆ, foràs nondum emiſſum, ab editisque ipſius opuſculis planè diverſum: ZALUSCIANOS inter Codices MSStos: Volumini Polonico DCI, p. III — 113 immiſtum, aſſervatur.

Latinae Orationes, à TARNOVIO illo ipſo, Cracovienſi ut Caſtellano, ad Nobilitatem Polonam, Leopoli MDXXXVII in conventu maximo tumultuantem, habitae: STANISLAI ORICHOVII ANNALI Sexto, Edit. Dobromilen. p. 223—229: 238—250: 255—257: Gedanen. p. 176—180: 191—201: 205—207: Lipſien. p. 1588—1591: 1595—1601: 1603 ſq. inſertae, lucem aſpexerunt.

Is TARNOVIUS, virorum doctorum cultorumque amantiſſimus et obſervan-

tiſſimus: ANDREAM FRICIUM MODREVIUM, ANDREAMque TRICESIUM, BARTHOLOMÆUM GROICIUM, CHRISTOPHORUM KOBILIENSCIUM, IOANNEM STRASIUM, Polonos: PETRUM ROYSIUM MAUREUM Hiſpanum: ANTONIUM SNEEBERGERUM Tigurinum: IOANNEM BENEDICTUM Luſatum: IOANNEMque LANGUM atque IOANNEM CERASINUM, Sileſios: beneficentia maxima eſt proſecutus. STANISLAUM autem ORICHOVIUM Roxolanum: munificentiſſimo eius Maecenate, PETRO KMITHA, mortuo: in familiam ſuam receptum, quoad ipſe adhuc vixit, honorificentiſſime habuit.

Mortalitatem TARNOVIUS exuit, XVII Kalendas Iunii, anno Salutis reparatae MDLXI, aetatis ſuae LXXIII. Exſtat vita huius Herois, à STANISLAO ORICHOVIO, vernaculo ſermone expoſita: è ZALUSCIANO Codice †, à FRANCISCO BOHOMOLECIO edita ‡: ab eoque annotationibus iucundiſſimis illuſtrata.

† Qui, loco priori, vitam ZAMOSCII Magni, à REINHOLDO HEIDENSTEINIO Latinè ſcriptam, exhibet.

‡ Varſaviae, in Typographia Regia, MDCCLXXIII, forma 8.

TARNOVII huiusce Cracovienſis Caſtellani, cum PETRO KMITHA Palatino, ſo-

roris ſuae filio, ſimultatem inimicitiamque execrabilem, Hiſtoricus anonymus, in VITA PETRI KMITHÆ Edit. Dobromilen. pag. 306—310: Gedanen. p. 246—248: Lipſien. p. 1628 ſq., fusè enarravit.

CL.

✠ NICOLAUS THASZYCKI, Iudex Terrae Cracovienſis, Senex gravis et ſagax et eloquens, idemque legum ac rerum patriarum omnium maximè peritus, ordinandis REGNI POLONIĘ STATUTIS: quae *, Divi SIGISMUNDI Primi Regis, ac Regni Ordinum omnium auctoritate ſunt confirmata, Cracoviaeque in typographeo HIERONYMI VIETORIS, anno Salutis humanae MDXXXII, foliis integris exſcripta: operam potiorem impendit. Peculiarem deinde PROCESSUM IUDICIARIUM REGNI POLONIĘ confecit: qui **, auctoritate eadem approbatus, ex officina HIERONYMI VIETORIS, anno à CHRISTO nato MDXXXIV, forma 8 maiori, in lucem prodiit. Exſtant praeterea Orationes, à THASZYCIO eodem, in Leopolienſi conventu generali, anni MDXXXVII, more aevi ſui, Latinè dictae: à STANISLAO autem ORICHOVIO, Oratore ipſo atque Hiſtorico prin-

principe, ANNALIUM suorum Libro Sexto, *** insertae.

* Copiosius, in hoc Volumine, sub numero à nobis sunt indicata.

** Cracoviae servatur in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. FRANCISCI: testante Librorum rarissimorum, alienis in Bibliothecis, à ZALUSCIO Praesule deprehensorum et perlectorum, p. 41.

*** Reperiuntur eae, in ANNALIUM illorum Editione Dobromilensi, p. 177 — 180. 189 — 191. 204 — 208. 252 — 254. 257 — 260. Inque Gedanensi, p. 148 et 149. 157 — 159. 169 — 172. 203 et 204. 207 — 209. In Lipsiensi autem, p. 1572, sq. 1577 — 1579. 1584 — 1586. 1602, sq. 1604, sq.

CLI.

VLADISLAVS TVRLAY, Eques Lituanus, eruditi ingenii famam insolenter affectavit. Reginarum, quas augustissima Domus Austriaca, Genti Polonicae nobilissimae atque inclytissimae dedit, Elogia stylo turgido et inflato conscripsit. Prodiit opus, titulo hoc tumidissimo insignitum: CORONA AVSTRALIS IN POLO POLONIÆ, INTER TERGEMINA DIADEMATA, AVGVSTISSIMA CONSTELLATIONE REFVLGENS: SIVE SERENISSIMARVM, E' STIRPE AVGVSTISSIMA AVSTRIACA, REGINARVM POLONIÆ IMMORTALES VIRTVTES, ETHICIS, POLITICIS, HISTORICIS OBSERVATIO-

VATIONIBVS, ORBI IN CVLTVM, PRINCIPIBVS IN EXEMPLVM, PROPOSITÆ. PER VLADISLAVM TVRLAY, EQVITEM LITVANVM, NOTARIVM CASTRENSEM, PALATINATVS TROCENSIS. *VILNÆ*, TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS IESV. MDCCV. 4.

CLII.

NICOLAVS TYMPEFELD, ſacrae theologiae in Academia Cracovienſi profeſſor publicus: idemque Vratiſlavienſis Canonicus Cathedralis: circa annum MCCCCLXVI, opuſculum invectivum, contra GEORGIUM DE PODIEBRAD, aſſertum Regem Bohemiae, evulgavit. Quod, calamo exaratum, Lipſiae in Bibliotheca Academica aſſervari: Bibliothecarius eruditiſſimus, IOACHIMVS FELLERVS, in edito CATALOGO CODICVM MSSCTORVM eiusdem Bibliothecae, p. 403 teſtatur.

CLIII.

✠ POMPEIUS UGONIUS Romanus, cum in patrio Gymnaſio, cui à SAPIENTIA cognomentum eſt, rhetoricen doceret,

ceret, Orationem ad S. D. N. PAULUM V. P. M. nomine Serenissimi et Potentissimi Poloniae Suetiaeque Regis SIGISMUNDI III, obedientiam praestante Illustriss. et Reuerendiss. Dño PAULO WOLUCKI Episcopo Luceoriensi Legato, in Aula Regia Vaticani Palatii, prid. Kal. Februarii MDCXIII habuit. Quae in Urbe, apud BARTHOLOMÆUM ZANNETTUM, illo adhuc anno, permissu Superiorum, forma 4, in lucem prodiit. BIBLIOTHECÆ ROMANÆ auctori, PROSPERO MANDOSIO, et litteratoribus aliis, qui UGONII vitam scriptaque enarrarunt, oratio illa haud nota fuit.

ERASMUS VITELLIUS, Episcopus Plocensis, vide ERASMUS.

CLIV.

✝ VITELLO, opticae artis scriptor nobilissimus, saeculo XIII, ea in Poloniae parte, quae tunc excolebatur, natus fuit: patre Thuringo, matre autem Polona: quemadmodum ex optico eius opere * conjici potest. Circa annum CHRISTI MCCLXX maximè floruit. Quo ferè tempore, GODISLAUS BASCO Cathedralis Custos Posnaniensis, MARTINUSque POLONUS Poenitentia-

tiarius Pontificius, atque NICOLAUS POLONUS Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Archidiaconus, doctrina et ſcriptis celebres exſtiterunt.

* In quo, VITELLO ipſe: ſcribendi genere ab ALHAZENO Arabe aſſumto: libri cuiuslibet principio, ſub finemque libri X, filium Thuringorum et Polonorum ſeſe appellavit. Praeterea libri X, theoremate LXXIV, de ſua terra, Polonia habitabili, mentionem iniecit.

VITELLO artes liberales, potiſſimèque diſciplinas mathematicas, Romae ac Patavii tractavit et exercuit. Arabumque atque Graecorum auctoribus clariſſimis: quos in Italiae Bibliothecis offendit: adiutus, OPTICÆ libros X compoſuit. Eosque GVILIELMO de MORBETA **, Romani Pontificis Maximi CLEMENTIS IV Poenitentiario, intima familiaritate morumque ſimilitudine et ſtudiorum ſocietate ſibi coniunctiſſimo, dedicavit. Quos FEDERICUS RISNERUS ***, Mathematicus aetate ſua excellentiſſimus, diligentia ſingulari correxit atque emendavit ****: et luculenta praefatione ad CATHARINAM MEDICEAM, CAROLI IX Regis Gallorum, atque HENRICI Poloniae primûm et deinceps Galliae Regis matrem, de VITELLONIS patria, ſtudiisque ac ſcriptis, adornavit.

** PROCLI INSTITUTIONEM PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ, anno MCCLXVIII, à GVILIELMO de MORBETA Latinitate donatam, Viennensique in Bibliotheca Imperatoria asservatam, GEORGIUS MATTHIAS KÖNIGIUS, in BIBLIOTHECA VETERI ET NOVA, p. 553 indicavit.

*** Quo duce, PETRUS BAYLIUS, in LEXICI HISTORICO-CRITICI, Gallico sermone confecti, Editionis Amstelodamensis anni MDCCXXXIV, Tomo V, p. 490 sq., de VITELLONE disputavit. MENCKENIUS atque IOECHERUS, in LEXICO BIOGRAPHICO LITTERARIO, Theotisca lingua conscripto, VITELLONEM nostrum, opticae artis aevo barbaro instauratorem, silentio praeterierunt.

**** Adhibitis antiquis et optimis Codicibus MSStis, quos studiorum suorum atque fortunarum suarum auxiliator praecipuus, PETRUS RAMUS, Parisiensis Academiae lumen, undique conquisiverat.

RISNERIANA illa Editio praestantissima, temporibusque nostris perrarò obvia *****, sic inscribitur: VITELLONIS THURINGO POLONI, OPTICÆ LIBRI DECEM. Instaurati, figuris novis illustrati atque aucti: infinitisque erroribus, quibus antea scatebant, expurgati à FEDERICO RISNERO. *BASILEÆ*, ex Officina EPISCOPIANA, per EUSEBIUM EPISCOPIUM et NICOLAI F, Haeredes. Anno MDLXXII: mense Augusto. Folii magnitudine. Exemplar illud, quod nunc in manibus nostris est, primùm ad GEORGIUM DE STRACKWITZ, Equitem Silesium, pertinuit. Deinde ARNOLDI A BOBURT, Nobilis Lituani, proprium fuit. Postea Societatis IESU, Regii Collegii Varsaviensis, Bibliothecae

thecae accessit. Oppressa autem Societate IESU inclyta: Augustae Domus VITELLIÆ decus eminentissimum, Princeps MICHAEL PONIATOVIUS, Pontifex Plocensis atque Dux Pultoviensis, Idemque Cracoviensis Episcopatus Severiensisque Ducatus cum successione futura Coadiutor: publicae nunc in universo Regno Polonico institutionis praeses, domesticaeque omnis litteraturae instaurator summus: VITELLONIS opus opticum, in publicam Bibliothecam ZALUSCIANAM ******, quae Suae Celsitudinis sapientiae, vigilantiaeque atque magnanimitati, tempestate illa gravi, sua omnia incolumia salvaque debet, inferri et posteritati serissimae reservari iussit.

***** Nec olim quidem visa est BAYLIO, librorum talium sollertissimo indagatori. Qui non VITELLONIS OPTICAM ipsam, sed RISNERI tantùm praefationem, inter PETRI RAMI et AUDOMARI TALÆI COLLECTANEAS PRÆFATIONES, EPISTOLAS, ORATIONES, pag. 162 — 165 recusam, legit.

****** Exstabant quondam, in ZALUSCIANA Bibliotheca: OPTICÆ THESAURUS. ALHAZENI ARABIS LIBRI SEPTEM, nunc primùm editi. Eiusdem LIBER DE CREPUSCULIS, ET NUBIUM ASCENSIONIBUS. Item VITELLONIS THURINGO POLONI LIBRI X. Omnes instaurati, figuris illustrati et aucti, adiectis etiam in ALHAZENUM commentariis, à FEDERICO RISNERO. *BASILEAE*, ex Officina EPISCOPIANA, per EUSEBIUM EPISCOPIUM et NICOLAI F, Haeredes. Anno MDLXXII: mense Augusto. Folii magnitutine, uno eodemque volumine elegantissimo. Quod, litteratissimo cuidam Heroi externo, ab ipso Bibliothe-

cae Conditore illuſtri conceſſum, ad Bibliothecam iſtam nondum rediit.

Norimbergenſis Editio prima, à GEORGIO ut ego quidem opinor TANNSTETTERO †, haud obſcuri nominis Mathematico, diſpoſita fuit. Eſt illa, Baſileenſi multò rarior: ſed ex Codice manco †† et vitioſiſſimo deſcripta: qua carere facilè potueris. Eius titulus, à MICHAELE MAITTAIRE, in ANNALIUM TYPOGRAPHICORUM, Tomi II Parte poſteriori, p. 823, verbis iis exprimitur: VITELLIONIS PERSPECTIVÆ LIBRI DECEM. Apud IOANNEM PETREIUM. *NORIMBERGÆ* 1535. fol. †††

† Cuius Epiſtola, Opticis VITELLONIS antea editis praepoſita, à RISNERO in praefatione adducitur.

†† Prout è RISNERIANA praefatione clarè ſatis intelligitur.

††† CATALOGUS BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVÆ, p. 171, VITELLIONIS OPTICÆ, Editionem Norimbergenſem anni 1535, ut legatum DANIELIS ZEVECOTII, notat.

Fuit Hagae Comitum, in Bibliotheca ‡ SAMUELIS HULSII, Viri Conſularis, Editio cum eiuſmodi inſcriptione: VITELLIONIS Libri X, de natura, ratione, et projectione radiorum viſus, luminum, colorum atque formarum, quam Perſpectivam vocant. *Norimbergae* 1551, fol.

‡ Teſtante eius CATALOGI Tomo I, p. 125 ſq.

Oſten-

Oſtendi Florentiae, in BIBLIOTHECA MEDICEA LAURENTIANA, membraneum volumen complectens: VITELLONIS POLONI Perſpectivam magnam, ad Fr. GVILIELMUM de MORBETA, Libris X: in quibus continentur propoſitiones DCCCV, cum demonſtrationibus ad marginem affabrè pictis: à BERNARDO DE MONTFAUCON, in BIBLIOTHECA BIBLIOTHECARUM MANUSCRIPTORUM NOVA, Tom. I, p. 301, n. XIV, eſt ſignificatum.

'CATALOGI CODICUM MANUSCRIPTORUM, BIBLIOTHECÆ REGIÆ PARISIENSIS, Tomus Quartus, p. 331, n. VIIMCCXLVIII: VITELLIONIS Mathematici, ad GVILIELMUM de MORBETA, librorum decem de perſpectiva, Codicem unum membranaceum, ſaeculo decimo quarto exaratum: p. 351, n. VIIMCCCXCI autem, operis eiusdem Codicem alterum chartaceum, decimo quinto ſaeculo deſcriptum, memorat.

VITELLONIS iſtius, DE ORDINE ENTIUM, et DE SCIENTIA MOTUUM CÆLESTIUM, libri nondum editi: ipſius GEOMANTIA ‡‡, anno MCCLXIX, ſectionibus VIII collecta, et Magiſtro ARNOLPHO nepoti ſuo nuncupata: reliquaque eius opera MSSta, in externis Bibliothecis aliis deliteſcunt.

‡‡ Quam, calamo perſcriptam, RISNERUS in manibus ſuis habuit: BAYLIUS autem, RISNERIANA

NA praefatione haud attentè perlecta, GVILIELMO de MORBETA perperàm attribuit.

Plura nunc fari de VITELLONE, deque illius ſcriptis, per infirmitatem oculorum, totiusque corpuſculi morborum variis generibus penitùs emacerati, mihi non licet.

CLV.

✠ B. VITUS Polonus, Ordinis Praedicatorum: Divi HYACINTHI diſcipulus, Cracovienſisque Coenobii, omnium in Polonia vetuſtiſſimi, alumnus: Lituanorum primus Epiſcopus, à Venerando FULCONE, Archiepiſcopo Gneſnenſi, anno humanae Salutis MCCLIII, conſecratus fuit: aevi illius Chronographo, GODISLAO BASCONE, SOMMERSBERGIANA in Editione p. 66, in ZALUSCIANA p. 135, perhibente. A Lituanis autem, religionis Chriſtianae deſertoribus, graviter vulneratus, ignominioſèque expulſus, Cracoviam refugit: ubi VIII Idus Maii, MCCLIV, in Cathedrali Eccleſia, publicatae Canonizationi Divi STANISLAI, Cracovienſis Pontificis et Martyris, eiusque oſſium Elevationi, cum Poloniae Antiſtitibus praecipuis interfuit: teſte eodem BASCONE, ſecundùm Editionem SOMMERSBERGIANAM p. 66, ZALUSCIANAM autem, p. 136. Mortuum Cracoviae, ibidemque Divi HYACINTHI ſepulchro illatum: PAULUS RUSZEL, Ordi-

Ordinis Praedicatorum, Lituanae Provinciae, S. Theologiae Baccalaureus, in vernaculo PANEGYRICO DIVI HYACINTHI, Vilnae, Patrum Seniorum iuſſu, MDCXLI, forma 4 divulgato, p. 18 et 24 tradidit. Mortis autem eius tempus neutiquam expreſſit. Vertente ſaeculo ſuperiori, Ordinis illius, Provinciae Polonae, Theologus atque Hiſtoricus, DOMINICUS FRYDRYCHOWICZ, eo in libro: qui S. HYACINTHUS ODROVASIUS, PRINCIPALIS REGNI POLONIÆ PATRONUS, eſt inſcriptus: p. 229 ſq., B. VITUM, amiſſo Lituaniae Epiſcopatu, à Principe Polonorum BOLESLAO PUDICO *, ad Pontificatum Lubuſſenſem ** promotum, vetuſto ſcriptore nullo innixus, aſſeruit. Cui tamen, inclyti eiusdem Ordinis Magiſter Generalis, ANTONIUS BREMOND, vir iudicio graviſſimo, in BULLARII ORDINIS FF. PRÆDICATORUM, criticis Annotationibus ac Diſſertationibus ſuis illuſtrati, Tomo I, p. 414, aſſentiri videtur. Exſtat Cracoviae, in Coenobii Ordinis Praedicatorum Bibliotheca, antiquis voluminibus, tàm calamo deſcriptis, quàm typographicae artis initio excuſis, copioſè inſtructa, membranaceus Codex *** forma 4, decimi quarti ſaeculi exitu, charactere vario conſignatus. Cui, praeter alia Opuſcula Eccleſiaſtica, ſub finem ferè inſerta eſt: De chriſtianorum in Lithonia conditione deplorabili, ad

 ſanctiſ-

ſanctiſſimum ac beatiſſimum patrem dominum Innocentium papam quartum, fr. Uiti de ordine predicatorum epiſcopi Lithonieñ epiſtola. In qua, locus, annusque ac dies, non ſunt adſcripti.

* Cuius, conſcientiae moderator, B. VITVS, ante adeptum munus Epiſcopale fuiſſe, à FRYDRYCHOVICIO dicitur.

** Lubuſſenſis enim in Marchia Media Epiſcopatus: temporibus poſtremis, Lebuſianus nuncupatus: à MIECISLAO, primo Chriſtiano Polonorum Principe, inſtitutus fuit. Antiſtesque Lubuſſenſis, priſcis ſaeculis, inter Poloniae Epiſcopos atque Conſiliarios, locum eminentem tenuit. Gneſnenſisque Archiepiſcopi Metropolitani Suffraganeus fuit. Neque DLUGOSSUS in ANNALIBUS REGNI POLONIÆ, Praeſules Lubuſſenſes neglexit. VITUM Polonum tamen, Lituaniae ſolummodò Epiſcopum, induxit: videlicet ſub annis, MCCLIII p. 733, et MCCLIV p. 735.

*** Menſe Iulio anni MDCCLII, à me ipſo viſus, examinatusque.

CLVI.

✝ VRATISLAVIENSIUM EPISCOPORUM, Metropolitani Gneſnenſis Archiepiſcopi auctoritatem colentium, accuratus Catalogus: ab auctore ignoto compoſitus: ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, forma 4, ſub numero MMXLVIII, aſſervatur. Epiſcopi cuiuslibet elogium breviter, ſed eleganter ſcriptum, exhibet: gentilicio eius inſigni coloribus ſuis ſcitè appicto. Opuſculum * illud ſic incipit: Anno poſt CHRISTUM natum

tum Nongentesimo sexagesimo nono Silesia, quae tum MECISLAO Polonorum Principi parebat, Christianam religionem amplecti coepit. Quo tempore Smogrouiensem ** Silesiae Episcopatum MECISLAUS fundauit. Ac primos Episcopos VII, è nobili Italorum familia fuisse, constat. Laudato deinde GOTFRIDO Nobili Romano, primo creato Antistite: usque ad IOANNEM SEXTUM, ex antiqua SITSCHIORUM familia Silesiaca, Praesulem die XXI Iunii MDC electum, procedit.

* Quod, suasu nostro, à MIZLERO illustri, HISTORIARUM POLONIÆ SCRIPTORUM COLLECTIONIS MAGNÆ Tomo III, nunc tandem in lucem exituro, inseritur.

** Huius enim Episcopatus nobilissimi Sedes, primùm Smogra et deinde Bicina fuit: donec Vratislaviam, Silesiacarum Urbium omnium principem, fuerit translata. Exstantque VITÆ EPISCOPORUM SMOGROVIENSIUM ET BICINENSIUM, VRATISLAVIENSIUMQUE, à IOANNE LONGINO, id est DLUGOSSO, Canonico Cracoviensi, contextae: quas FRIDERICUS WILHELMUS DE SOMMERSBERG, Eques Silesius, inter SILESIACARUM RERUM SCRIPTORES, Tomo II, p. 158—172, iuris publici fecit.

CLVII.

✝ IOSEPHUS WERESZCZYNSKI, Ordinis Divi BENEDICTI Abbas Siecichoviensis, in Dioecesi Cracoviensi, vir sanctitatis, et doctrinae, et prudentiae opinione, temporibus suis celeberrimus, sermone vernaculo, multa composuit atque divul-

gavit: quae à SEBASTIANO ACERNO SULMIRCENSI, Lublinenſis Urbis Conſule, Iudaicarumque cauſarum ibidem Iudice, Latinè ſunt verſa. Operis praecipui titulus eſt: REGULA, ID EST, INSTITUTIO SEU CURSUS VITÆ CUIUSQUE REGIS CHRISTIANI. Idiomate Polonico edita per Reuerendum in CHRISTO Patrem, D. IOSEPHUM WERESZCZYNSKI, Diuina ordinatione Abbatem Sieciechouien̄. Latinam autem in linguam tranſlata per SEBASTIANUM SULMIRCENSEM ACERNUM, Conſulem Lublinenſem &c. *CRACOVIÆ*, in Officina ANDREÆ PETRICOVII. 1588. 4. WERESCINIUS ille, SIGISMUNDO III * Regi Polonorum deditiſſimus, creatus ab eo Kiovienſis Epiſcopus, Senatum Regni ingreſſus eſt MDLXXXIX. Mortuus MDXCIX. SIMON OKOLSKI, in libro rariſſimo, ipſisque Polonis haud noto, qui CHIOVIENSIUM ET CZERNIECHOVIENSIUM EPISCOPORUM SANCTÆ ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ ROMANÆ ORDO ET NUMERUS inſcribitur, p. 28 ſq.: CAROLUS NEPOMUCENUS ORLOWSKI, in CHRONICO PALATINATUS ATQUE EPISCOPATUS KIOVIENSIS, lingua vernacula publicato, p. 91 ſq.: CHRISTIANUS THEOPHILUS DE FRIESE, in COMMENTATIONE BREVI, DE EPISCOPATU KIOVIENSI EIUSQUE PRÆSULIBUS, p. 49 — 51: FRANCISCUSque RZEPNICKI, in VITIS PRÆSULUM REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITUANIÆ,

Tomo

Tomo III, pag. 145 ſq., de WERESCINIO Antiſtite, verba fecerunt.

* Cui, Regni Polonici adhuc Candidato, WERESCINIUS benevolentiam ſuam, opella ſubſequenti maximè probavit: SUFFRAGIUM Reuerendi in CHRISTO Patris, D. IOSEPHI WERESZCZYNSKI, Abbatis Sieciechouienſis: ad Nobilitatem Regni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae: de Eligendo Nouo Rege, è Domo IAGELLONIADUM, Sereniſſimo SIGISMUNDO, Filio Sereniſſimi Suecorum, Gotorum, Vandalorum &c. Regis: poſt deceſſum Inuictiſſimi STEPHANI Primi, Poloniae Regis, patria lingua prolatum. Latinè redditum per SEBASTIANUM SULMIRCENSEM ACERNUM. *CRACOVIAE*, typis ANDREÆ PETRICOVII, anno Domini MDLXXXVII, 4.

Eiusdem WERESCINII Abbatis, ADHORTATIONEM ad Regni Poloniae Proceres et Ordines omnes, in IANOCIANORUM Volumine I, p. 3, n. III, indicavimus.

CLVIII.

☩ MARTINUS WOLSKI, Eques Polonus, SIGISMUNDI PRIMI felici principatu vixit. Scripta ab ipſo HISTORIA POLONICA, ab aetatis eiusdem auctore graviſſimo, STANISLAO ORICHOVIO, in ANNALI Primo, Edit. Dobromilen. p. 17, Gedanen. p. 14, Lipſien. p. 8, laudatur. Quam, Polonorum litteratorum aevi noſtri princeps, IOSEPHUS ANDREAS ZALUSCIUS, Epiſcopus Kiovienſis, explorare haud potuit.

CLIX.

✠ MICHAELIS WRANTII, Dalmatae exulis: Tranſylvaniae Antiſtitis, IOANNIS STATILII, ex ſorore nepotis: Cracovienſis autem Pontificis, PETRI TOMICII, alumni: priori in Volumine huius operis, ſub numero CXIV, p. 304 ſq. à nobis commemorati: hominis in dicendo acuti ac mordacis, geminae QUERELÆ HUNGARIÆ DE AUSTRIA Elegiaco carmine, à STANISLAO GORSCIO, Cracovienſi Canonico, in SIGISMUNDI PRIMI Poloniae Regis ACTIONUM Tomum XI, p. 165 b. — 169 a, ſunt illatae. Eiusdem WRANTII Elegidia argumenti varii, à GORSCIO eodem, ANDREÆ CRICII, Gneſnenſis Archiepiſcopi, et Regni Poloniae Primatis, Operibus Anecdotis paſſim ſunt interſerta.

Venit nunc in manus noſtras: DIVI REGIS HUNGARIÆ IOANNIS PRIMI EPICEDION, PER MICHAELEM WRANTIUM DALMATAM, Elegis confectum. IN URBE CRACOVIA, PER HIERONYMUM VIETOREM, TYPIS EXCUSUM, MDXL, 4. Cui, auctoris frater germanus, ANTONIUS nomine: Tranſylvanienſis tunc et veteris Budae Praepoſitus, Regnique Hungariae Secretarius Natus: AD SERENISSIMAM ISABELLAM, HUNGARIÆ REGINAM, CONSOLATORIAM EPISTOLAM, Elegis ſcriptam, praemiſit.

Neuter WRANTIUS Hungarorum litteratori ALEXIO HORANYIO innotuit. Sicut etiam IOANNES ANTONINUS, GEORGIUS CHIAKOR, IOANNES HENCKEL, DEMETRIUS NAPRAGUS, MICHAEL ALOYSIUS SINAPIUS, IOANNES STAPHYLEUS, GEORGIUS WERNERUS, et NICOLAUS ZOKOLIUS, auctoresque alii illuſtriores: ortu aut Hungari, aut Tranſylvani, aut Dalmatae, amicitia Polonis iunctiſſimi, perqueamanter ab iis accepti, et perhonorificè habiti: HORANYIUM, ſcriptorem alioquin eruditum ac ſollertem, fugerunt.

WRATISLAVIENSIUM Epiſcoporum Catalogus: vide VRATISLAVIENSIUM.

CLX.

✠ ADAMUS ZAREMBA, Nobilis Polonus, SIGISMUNDI III Polonorum atque Suecorum Regis Geometer fuit. Regisque illius iuſſu, Smolenſcenſis Ducatus, Poloniae Regno, tunc adiuncti, Topographiam accuratam: cum eiusdem diviſione et limitibus: idiomate Polonico compoſuit, quartoque Idus Maias anni MDCXXI abſolvit. Quae, menſe Septembri huius anni MDCCLXXVI, Smolenſciae

sciae in Tabulario Imperatorio est reperta. Cognovimus hoc, diebus illis, è viro nobilissimo ac doctissimo, nobisque maximè amico ac familiari: qui perquirendis ac pernoscendis rerum Polonicarum ac Russicarum monumentis, ab externo Legato, nostra illa aetate eminentissimo atque potentissimo, ante alios omnes adhibetur.

CLXI.

✝ CHRISTOPHORUS ZEGOCKI, à IOANNE CASIMIRO Polonorum Rege, haud diu ante abdicationem suam, Inowroclaviensis Palatinus creatus fuit. Is, MICHAELI Regi, statim post eius electionem, Consilium sermone Polonico exhibuit: quomodo Sua Maiestas ad dominatum absolutum possit pervenire. Exstat hoc, ZALUSCIANOS inter Codices MSStos, Volumini Miscellaneo, sub numero CCCCL, fol. 26.b — 27.b insertum, cum hac inscriptione: Puncta Rady Jm Pana *Zegockiego* Woiewody Inowrocławskiego J. K. M. podane, po Elekcyi nazaiutrz iakiemi srzodkami ad absolutum Dominium aspirare ma. A teraz pod czas tego kołá z szkatuły J. K. M. wyronione. Tulit mox ZEGOCIUS à MICHAELE Rege praemium, Chelmensem in Roxolania Episcopatum: accuratè commemorante GASPA-

RE

RE NIESIECIO, in Genealogici operis ſui Tomo I. p. 66. et p. 148. Mortuus eſt ZEGOCIUS, Epiſcopus Chelmenſis, MDCLXXII. Edita ipſius Scripta vernacula, in Palatini Novogrodenſis, IOSEPHI ALEXANDRI Principis IABLONOVII, MUSEO POLONO, p. 294 ſq. indicantur. Ubi ZEGOCIUS, Vladiſlavienſis Praeſul deſignatus, perperàm vocatur.

CLXII.

STANISLAUS ZOLKIEVIUS, Leopolienſis primùm Caſtellanus et deinceps Palatinus Kioviae, ſimulque copiarum Polonicarum Dux campeſtris; poſtea autem Regni Poloniae Cancellarius, armorumque atque militiae Praefectus ſupremus: BASILII SUYSCII, Moſcorum olim Magni Ducis, victor: in Moldavia ad Tyram cum Tartaris fortiter dimicando, deſertus à ſuis, tribus annis ſeptuagenario maior, victima pro patria ſua cecidit, pridie Nonas Octobris, anni poſt CHRISTUM natum MDCXX. Eius illuſtria facta luculenter * enarravit STANISLAUS KOBIERZICIUS: Gedanenſium tùm Caſtellanus, poſteaque Pomeraniae Palatinus: in HISTORIÆ VLADISLAI, POLONIÆ ET SUECIÆ PRINCIPIS, ELECTIQUE MAGNI MOSCOVIÆ DUCIS, Lib. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

VIII. IX. Gloriosamque ipsius mortem, flebilem in modum, descripsit eodem in opere, p. 703. 704. 705. et 709. Herois illius elogium singulare idem auctor expressit p. 705 — 709. Primusque omnium KOBIERZICIUS p. 706. relictum à ZOLKIEVIO, BELLI MOSCICI, SUB SIGISMUNDO III REGE, DUCTU SUO GESTI COMMENTARIUM, lingua vernacula, manu sua propria confectum, civibus eruditis ** indicavit. Qui KOBIERZICIO ipsi, in contexenda historia VLADISLAI, insigni adiumento fuit. Reperitur huius commentarii apographum nitidissimum, ZALUSCIANOS inter Codices calamo exaratos, miscellaneo Volumini † Polonico: quod ordine est DCI: p. 15—108 insertum. Memorabilis eiusdem: ZOLKIEVII GENERALIS EXERCITUUM REGNI POLONIÆ DUCIS, DE BELLO TURCICO EPISTOLA DELIBERATORIA: ad SIGISMUNDUM III Regem, in ipsa ad exercitum profectione, VII Kalend. Septemb. MDCXX. patrio idiomate scripta: à STANISLAO LUBIENSCIO, Plociae Episcopo, Latinè est versa. Prodiitque: LUBIENSCII OPERIBUS POSTHUMIS HISTORICIS, p. 185 — 187 immista.

* Digna quoque lectu sunt: quae PAULUS PIASECIUS, Antistes Premisliensis, in CHRONICORUM suorum Editione Cracoviensi, p. 81. 172. 223. 240. 283. 299. 316. 317. 318. 327. 357. 367. 370. sq. 379. sq. et p. 399 — 404. in Amstelodamensi autem, p. 69. 145. 189.

189. 202. 237. 250. 264. 265. 266. 267. 273. ſq. 299. 307. 308. 310. et p. 332 — 337: atque STANISLAUS LUBIENSCIUS, Plocenſis ille Praeſul, in OPERIBUS POSTHUMIS HISTORICIS, pag. 33. 35. 65. ſq. 73. ſq. 124. 126. et p. 127 — 131. porrò p. 140. 141. 142. 157. ſq. et p. 232 — 236. ac denique p. 422 — 426. de ZOLKIEVIO, heroe incomparabili, memoriae tradiderunt.

** Cognitum inde NICOLAUS CHVALCOVIUS, in INDICEM SCRIPTORUM DE REBUS POLONICIS: edito à ſe REGNI POLONIÆ IURI PUBLICO praefixum: retulit. E quo CHRISTIANUS GRYPHIUS, in ſuo APPARATU, SIVE DISSERTATIONE ISAGOGICA, DE SCRIPTORIBUS HISTORIAM SÆCULI XVII ILLUSTRANTIBUS, p. 523, atque SAMVEL IOACHIMVS HOPPIVS, in SCHEDIASMATE LITTERARIO, DE SCRIPTORIBUS HISTORIÆ POLONICÆ, §. XVII, pag. 30, doctis viris externis commendarunt.

‡ Conſcripto, per STANISLAVM SKARSZEWSCIVM, Cancellariae Regni Praeſidem adhuc vicarium.

